


...eratores spectantia.

Bembi Matthaei: Bellator Christianus hoc est Ratio Christiane pie feliciterque bella et apparandi et gerendi.

Crac. in off. Franc. Caesarii. 1617.


V
B
J
C
36576
I


Biblioteka Jagiellońska
stdr0003071

BELLATOR CHRISTIANVS:

Hoc est,

Ratio Christianè, piè, feliciterq; bella & apparandi & gerendi, summorum Imperatorum, Regum, & aliorum Christianorum Ducum exemplis expressa, & notis breuibus illustrata.

ACCESSERVNT

SS. Ambrosij & Augustini militaria monita, vetus præter ea Romanorum militaris disciplina à Iosepho descripta, necnon Precatiunculæ militares ex sacris literis potissimùm Psalmis Dauidicis petitæ.

AVTHORE
R. P. MATTHÆO BEMBO Societatis IESV
Doctore Theologo.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cesarij. Anno Domini, 1617.

1. Machab: 3.

Surrexit Iudas & adiuuabant eum vniuersi, qui se coniunxerant patri eius, & præliabantur prælium Isráël cum lætitia. Et dilatauit gloriam populo suo: & induit se loricam sicut gigas: & succinxit se arma bellica sua in præliis: & protegebat castra gladio suo. Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis in venatione. Et persecutus est iniquos, & qui perturbabant populum suum: & repulsi sunt inimici eius præ timore eius: & directa est salus in manu eius: & lætificabat Iacob in operibus suis: & in seculum memoria eius in benedictione.

Diuus AMBROSIVS Sermone 66.

Non est delictum militare; sed propter prædam militare peccatum est.

Idem libro 1. de Fide ad Gratianum.

Vincere parat qui Fidem vindicat.

Diuus AVGVSTINVS epistola 202.

Pacem debet habere voluntas, bellum necessitas.

Idem ibidem.

Valde turpe est, vt quem non vincit homo, vincat libido; & obruatur vino, qui non vincitur ferro.

THEODOSIVS Imperator.

Imperatoria acies stat non armis sed causis.

IVSTINIANVS Imperator.

Bene gubernat humana, cui priùs diuina placuerint.



SERENISSIMO PRINCIPI
ac Domino, D.

LADISLAO SIGISMVNDO

POLONIÆ AC SVECIÆ PRIN-
CIPI, DOMINO D. CLEMENTISSIMO

SALVTEM & FELICITATEM.



Roficiſcenti tibi, PRINCEPS ſereniſsime, Dei Opt: Max: nutu, ac S. R. M. parentis tui deſideratiſsimi, totiusq; Rei-pub: voluntate, ad fines Regni pacandos, hoſtiumq; finitimorũ bella propulſanda, ſimul res Moſcouiticas componendas, & Magnum gentis illius Ducatum obti-nendũ; ſatis ſcio non defuturos ex tanta Regni nobilitate, qui ſe tam neceſsariæ & glorioſæ expeditionis comites adiungãt: & cùm naſcẽti gloriæ tuæ impenſè faue-

ant, tum pro cōmuni Ecclesiæ Reiq́; pub. bono, se, fortunasq́ue, capitaq́; ipsa adeò sua libēter deuoueant: ex quibus hos cē-turiones, illos signiferos, alios cohortium tuarum Præfectos & Tribunos, nonnullos etiam consiliorum tuorum conscios, summæq́; rei administros & moderatores sis habiturus. Ego verò cùm hæc rei bene gerendæ non mediocria esse præsidia haud diffitear, bellaque viris & armis constare probè intelligam; alios tamen insuper, non tam comites & auxiliares, quàm felicis expeditionis tuæ Duces, ex variis Christiani orbis partibus accersitos maximis aliquando imperiis bellisq́; perfunctos, rerumq́; gestarū gloriâ florentissimos, Constātinos scilicet illos, Theodosios, Arcadios, Clodouæos, Ludouicos,

Iagello-

Iagellones, Beliſarios, Narſetes, alioſque immortalitati conſecratos heroës tibi cē-ſui ſubmittendos & cōmendandos. Quibus enim ducibus melioribus & ſapientioribus, iuuētus tua ad omnia ſumma nata, & ſingularib⁹ naturæ doctrinæq́; muneribus cumulata, tutiùs committi regenda poteſt, quàm his qui ſummis ipſi imperiis præfuerunt: exercit⁹ maximos ſæpius ductarunt: multa bella geſſerunt: cū potētiſsimis hoſtibus conflixerunt: memorabiles ex eis victorias reportarūt: deq́; profligatis tandem & ſubactis feliciter & glorioſè triūpharunt? Hi tibi, PRINCEPS ſerme, conſilio certo fideliq́; nō ad gratiam tantummodo tuam excogitato, libēter præſtoq́; ſemper aderunt, exemploq́ue adeò ipſo, quod in bellis caput eſt, præibunt. Ab

his tacentibus licet, vnde bella auſpicãda & gerenda, quæ diſciplina in caſtris retinenda, quid in ſummo rerum diſcrimine potiſsimũ faciẽdum, nullo tuo periculo, minimo etiam labore quietus ſecuruſque intelliges. Horum ego nõnulla præclarè geſta, ex probatis grauibuſq; ſcriptoribus bona fide collecta, verbiſq; ipſorum propriis exſcripta, pauculis ad ſingula notis adiectis tibi, PRINCEPS ſerme quàm demiſsiſſimo animo offero, tuoq; celſiſsimo nomini do dedicoq;: tum quòd id quicquid eſt exiguæ operæ & laboris, ſerẽmi Regis parentis tui optimi maximis erga Societatem noſtrã beneficiis debere me intelligam; tum quòd tibi ipſi ob regiam tuam ſummiſq; imperiis dignam indolem, ex animo quàm optimè velim; tum deniq;

quòd te primum hoc immortalis gloriæ curriculum ingredientē omnibꝰ diuinis humanisq́; præſidiis eſse quàm inſtructiſſimū percupiam. Adieci perpauca grauiſsimorum Doctorum, clariſsimorūq́; Eccleſiæ catholicæ luminū, Ambroſii & Auguſtini præclara militaria monita: veterem præterea Romanorum diſciplinā militarē à Ioſepho breuiter ſuccinctèque deſcriptam; nonnullas inſuper perbreues precatiūculas, ex diuinis literis & pſalmis potiſsimū excerptas. Accipe igitur hoc primum munuſculum meum, PRINCEPS ſer[me] ea quæ tibi innata eſt propenſa erga omnes humanitate: neq; tam me reſpice, quā illos quos tibi repræſento vel ſolis nominibꝰ heroas illuſtres. Cū his eſto, tuaq́; cōmunica: ad horū exemplū te cōpone.

Viues

Viues & viues Dei Opt: Max: gloriæ, Ecclesiæ catholicæ bono, Reipub: nostræ præsidio, serenissimæ Domui tuæ ornamento, Regis deniq; serenissimi parẽtis tui longè optatissimi honori & consolationi. Viues aptus Regnis & imperiis, orbis Christiani decus, hostium formido pauorque, bonorum deniq; omnium amor & deliciæ. Deus te, PRINCEPS optime, quàm diutissimè saluum seruet & incolumem. Varsauiæ ex domo nostra, Cal: Maii, Anno Domini 1617.

Serenitatis Tuæ

humillimus in Christo
seruus

Matthæus Bembus Societatis IESV.

BELLATOR CHRISTIANVS.

I. Exemplum Conſtantini Magni Imperatoris cum Maxentio præliaturi.

Ex Euſebio de Vita Conſtantini libro 1.



ONSTANTINVS Imperator, cùm comperiſſet multò firmiore contra Maxentium tyrannum præſidio ſibi opus eſſe, quàm quod res militaris ſuppeditare ſoleret, Deum quæſiuit ſibi adiutorem; [a] ratus auxilijs, quę ex armis & militum manu petuntur, vix ſecundas tribuendas: at quæ ſunt ex Deo, nec viribus expugnari, nec vlla frangi violẽtia poſſe. [b] Quocirca huius opem precibꝰ implorauit, hunc orauit, hunc obteſtatus eſt, vt tum quinam eſſet ipſi vellet ſignificare: tum rebus quas apud animũ propoſuiſſet, dexteram velut adiutricem porrigere. Imperatori igitur iſta precanti, obnixèq; flagitanti, viſio quædam diuina, & inprimis

Quæ auxilia in bello firmiora.

Viſio diui.

nitus oblata Cõſtátino. admirabilis apparuit. Cùm iam ſol ad medium cœlum aſcendiſſet, die in pomeridianum tempus paululum inclinãte, dixit ſe crucis ſignum ex lucis ſplendore figuratum, in ipſo cœlo ſoli imminens manifeſtò oculis aſpexiſſe, inque eo inſcriptionem conſignatam, quæ hęc verba cõplectebatur: IN HOC VINCES. Admiratio ingens ipſum, & totum exercitum, qui eũ quopiam iter facientem comitabatur, atq; adeò huius prodigij ſpectator factus erat, inceſsit. Se verò dubitatione admodum intra ſe diſtrahi, quid tandem illud oſtentum ſibi vellet, aſſeruit. Atq; illum diu multumq; de eo cogitantem, oppreſsit nox. Ibi ei dormienti, Chriſtum Dei cũ ſigno in cœlo monſtrato viſum eſſe, præcepiſſeque, vt exemplari ad imitationem illius ſigni quod in cœlo apparuerat, fabricato, eo tanquam præſidio in præliis cum hoſtibus committẽdis vteretur. Ille ſimulatque dies illuxit, ſurgens, primum arcanum illud viſum amicis exponit: deinde artificibus, qui aurum & lapides precioſos affabrè ſculpere norant, accerſitis, medio inter illos loco aſsidet, verbis ſigni deſcribit effi-

S. Crucis ſignum.

giem

giem,eam auro & lapidibꝰ precioſis imitatione
adumbrare mandat. Quamquidē effigiem con-
tigit vt nos oculis olim contemplaremur: ipſe
enim Imperator, eam nobis oſtendere dignatꝰ
eſt. Conſtantinus ergo admiranda illa viſione
obſtupefactus, nullum alium Deum, quàm qui
ipſi apparuiſſet, colendum eſſe ſtatuens, ſacer-
dotes & profeſſores religioni & verbo illius ini-
tiatos accerſit: quis eſſet Deus ille ſciſcitatur:
quid etiam ſibi vellet viſio illa, quæ de ſigno
fuiſſet ipſi patefacta. Hi hunc Deū, reſpondent,
Dei vnius ac ſolius vnigenitum filium eſſe: ſi-
gnum autem quod apparuerat, immortalitatis
notam eſſe, trophæumq́; victoriæ illius de mor-
tæ reportatæ, quam olim cùm in terra verſaba-
tur fuiſſet aſſecutus. Cauſas etiam docent eius
aduentus, accuratamque illius inter homines
œconomiæ rationem ei ſuggerunt. His rationi-
bus quanquam probè erudiebatur ille quidem,
viſionis tamen ipſius oculis ſubiectæ adhuc te-
nebatur admiratione. Atq; tandem, vbi cæleſte
viſum cum ſacerdotum interpretatione cōtule-
rat, animo confirmatus fuit, pro certo perſuaſus,

Conſtantinus dedit ſe lectioni ſacræ ſcripturæ.

earum rerum cognitionem ſibi diuinitus oblatam eſſe,ac propterea in diuinam ſacrarum literarum lectionem,iam omni cura & cogitatione incumbere ſecum decreuit. Itaque primum Dei ſacerdotibus ſibi tanquã aſſeſſoribus aſcitis, ſtatuit Deũ qui ipſi apparuiſſet, omni genere cultus & obſeruantiæ venerari.

In Deo ſpem locat.

Deinde ſpe bona in illo poſita firmè munitus,de cætero permagna cupiditate ferebatur, ardentes incendij tyrannici faces, ad terrorem intentatas, penitus extinguendi. Deo itaq; moderatore ſibi patrono ante oculos propoſito, & Chriſto ſeruatore

Iubet præferri exercitui crucis ſignum.

adiutoreque inuocato,[d] & ſalutari ſigno,tanquã victoriæ trophæo ante armatos ſuos & ſatellites collocato, cum toto exercitu procedit; Romanis libertatem,quam à maiorибꝰ accepiſſent, recuperaturus. Cùm verò Maxentius[e] machinis præſtigiarum magis, quàm ſubiectorum beneuolentia confideret,& nullo modo extra portas ciuitatis egredi auſus eſſet: & omnem locum, agrum,& ciuitatem etiam,quę ipſius ſubiiciebatur imperio, ingenti armatorum multitudine, & infinitis copiis muniuiſſet. Imperator Con-

ſtantinus Dei auxilio nixus, primam, ſecundam, & tertiam tyranni aciem adoritur: & omnibus primo impetu perfacilè ſubactis, vniuerſam propè Italorum peragrat regionem, adeò vt iam quàm proximè Romam aduentaret.

Maxentiũ profligat.

a Dignus quouis bellatore Chriſtiano ſenſus exiſtimare, auxiliis quæ ex armis & militum manu petuntur. vix ſecundas tribuendas: at quæ ſunt ex Deo, nec viribus expugnari, nec vlla frangi violentia poſſe. Sic Dauid bellator eximius dicebat: *Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me; ſed dextera tua & brachium tuum.*

Pſalm: 43.

b Vnicuique bellatori ante omnia diuinum auxilium eſt enixè implorandũ.

c Solet interdum Deus Imperatores pios de futuro belli euentu felici, variis modis & rationibus facere certiores.

d Vſus ſigni Crucis in vexillis & labaris militaribus pius & ſalutaris.

e Nullis præſtigiis vel auguriis vanis & obſeruationibus in bello vtendum vel fidendum.

II. Exemplum eiuſdem Conſtantini cum Licinio pugnaturi.

Ex Euſebio libro 2. de Vita Conſtantini.

Conſtantinus conſuetum militaris expeditionis contra Licinium apparatum inſtituit, collocatis ante vniuerſa agmina tam peditum quàm equitum labaris cruce inſignitis. Precibus ſi vnquam aliàs, iam etiam ſibi opus eſſe intelligens, [a] Dei ſolicitabat ſacerdotes, vt ſemper cum ipſo verſari, ſemperq; præſto eſſe vellent,

Conſtãtinus ante bellum precibus vacat.

Sacerdotes præſto ſibi vult adeſſe.

vellent, hoſq; tanquam animæ cuſtodes ducebat.[b] Seruatori ſuo preces fundendi tempus vacuum & ſolutum dicauit:[c] & crucis tabernaculo extra caſtra etiam longiſsimè fixo, ibi ſinceræ & piæ meditationi ſe dedens more veteris illius Dei prophetæ, quem extra caſtra tabernaculum fixiſſe diuina confirmant oracula, Deum orare cæpit.[d] Nonnulli etiam quos ipſe ob fidei & pietatis ſtudium ſatis ſpectatos habuit, in idē munus cum eo vnà incumbebant: hocq; etiam alias exequi ei erat in more poſitum, cum bello cum hoſte decertare conſtitueret. Nam ſicut propter ſecuritatem tardior in rebus gerendis fuit,[e] ſic Dei conſilio omnia adminiſtrare conſultum ſtatuit. Et cùm iam vacuo animo attentè Deo preces adhibebat, ſemper aliqua diuina viſione dignatus fuit: ac poſt illud tanquam diuino inſtinctu impulſus,[f] exiliit è tabernaculo, & derepente exercitum incitare cæpit mandauitque, vt nulla mora interpoſita ipſam gladiorum aciem experirentur. Qui ex improuiſo hoſtes adorti homines cuiuſq; ætatis conciderunt: atque interdum puncto ferè temporis parta vi-

Tabernaculum orationis cauſa figit.

Imitantur eum cæteri.

Tardè res gerit ob ſecuritatem.

Deo preces adhibet.

A precibus manus conferit.

ctoria

ctoria, trophæa contra hoſtes inſignia ſtatuerunt. Ad hunc modũ Imperator etiam iam antea in prælijs committendis, & ſeipſum gerere, & exercitum regere conſueuit: quin etiam Deũ ſuæ ipſius animæ præponere & illius conſiliis omnia tranſigere,[g] diligentemq́; adhibere cautionem, ne inter dimicandum fieret multorum cædes, vnde non magis ſuorum, quàm hoſtium ſaluti proſpexit. Quapropter ſuos, cùm fuiſſent in pugna victoriam adepti hortari ſolebat,[h] vt captiuorum miſererentur: & cùm homines eſſent, naturæ humanæ nequaquam eos caperet obliuio: atque ſi aliquando militum animos ferociores cerneret,[i] auri munuſculo eos refrenare, pręcipereq́ue vt qui aliquem ex hoſtium numero viuum cæpiſſet, aliqua certi auri ſumma remuneraretur. Atq; hanc velut illecebram ad hominum conſeruationem, Imperatoris excogitauit prudẽtia: adeò vt infiniti etiam ex ipſis barbaris incolumes euaſerint, Imperatore ipſorum vitam auro redimente. Quemadmodum igitur hæc, & infinita his ſimilia, etiam aliàs Imperator facere conſueuerat: ſic in præſentia

Vitat multorum cædes in prælio.

Monet milites miſericordiæ erga captiuos.

Aurũ dabat militi hoſtẽ in acie viuũ ſeruanti.

Continentiã iungit orationi. necnon & corporis afflictationẽ.

Victor euadit.

de more ſuo ante initum prælium in tabernaculo ſeparato, tempus precibus ad Deum fundendis liberum addixit: [k] ab omni licentia & vitę ratione luxu diffluente ſe ſeuocauit, inedia & corporis afflictatione ſeipſum cóércuit, vti Deum ſibi cum precationibus ſupplicibus placatum, tum benignum adiutorem haberet: eaq́; perageret, quæ Deus eſſet illius animo iniecturus. Porrò autem, vtpotè natura vigilans & attentus per magnam Reip: curam ſuſcepit, [l] nec magis pro ſuorũ, quàm pro hoſtium ſalute precatus eſt; [m] ac tandem cùm hoſtes gladiorum aciem experiri velle cerneret, ſublato & ipſe clamore, omnes eorum copias momento temporis pedem referre cóégit, ſimulq́, contra inimicos & dœmones reportauit victoriam.

a Perutilis ſacerdotum in caſtris præſentia, ad animarũ militum cuſtodiã.
b Orandum ſtato tempore in caſtris.
c Mos erigendi in caſtris vel extra caſtra religionis cauſa tabernaculum. De eadem re ita ſcribit Sozomenus libro 1. hiſtor. cap: 8. Conſtantinus tabernaculum Eccleſiæ figuram exprimens, cùm contra hoſtes prœlio contenderet, ſecum circumferre conſueuit, ad eum finem, vti neque ſibi in ſolitudine vitam agenti, neque exercitui deeſſet, ædes ſacra, in qua quidem deberent Deum laudibus efferre, precibus ſolicitare, & ſacra myſteria percipere. Nam ſacerdotes & diaconi, qui ſecundum Eccleſiæ inſtitutum iſta munera obirent, tabernaculum aſſiduè ſecuti ſunt. Ex eo tempore militares Romanorum ordines, ſinguli ſibi tabernaculum conſtruxerunt,

habue-

habueruntque ſecum ſacerdotes & diaconos, ad rem diuinam faciendam deſignatos. Hæc Sozomenus.

d Ad exemplum pij Imperatoris & Ducis milites reliqui facilè cõponuntur.

e Conſulto per preces Deo omnia in bello aggredienda.

f Fructus piæ & religioſæ ad Deum orationis, promptum aliquod & expeditum ad res gerendas conſilium.

g Vitanda quantum fieri poteſt multorum in prœlio cædes.

h Miſericordia & clementia erga captiuos vtendum tanquam eiuſdem humanæ naturæ conſortes.

i Ingenioſa illecebra clementiſsimi Imperatoris, aurum largiri militibus, qui hoſtem viuum in acie cœpiſſent, vt hac arte hoſtium ſaluti conſuleret, & militum ferociam temperaret.

k Orationi coniungenda in caſtris temperantia ab omni luxu, & voluntaria corporis per ieiunium caſtigatio. Præſtat enim milites, (ait quidam) in decoris armis & militaribus equis, quàm in ſcortis atque conuiuiis libidinem habere.

l Inſignis Chriſtiana caritas etiam pro ſalute hoſtium Deum precari.

m Imperator oratione & aliis virtutibus munitus, facilem de hoſtibus reportat victoriam.

III. Exemplum eiuſdem ducentis exercitum contra Perſas.

Ex libro 4. Euſebij de Vita Conſtantini.

CVM de tumultu quodam barbarorum orientaliũ Conſtantinus audiuiſſet: hanc ſibi poſtremam de illis victoriam reliquam eſſe affirmans, exercitum contra Perſas educere properaret. Nam cùm id plenè ſecum ſtatuiſſet, militares ordines eduxit, & de expeditione cum Epiſcopis quos ſecum habebat communi-

Euſeb: libro 4. de vita, c. 56. & 57.

Conſtãtinus cum Epiſcopis belli conſilia communicat ſecũq; ducit.

cabat, exiſtimans oportere ex his aliquos ad pietatis officia maximè idoneos perpetuò ſibi adeſſe. Illi verò libenter quidem ſequuturos ſe, nec veſtigium ab eo diſceſſuros, ſed vna militiã obituros, & apud Deum ſupplicibus votis ſe pugnaturos recipiebant. Hac ille voluntatum & ſtudiorum profeſsione vehementer delectatus, toti⁹ expeditionis quaſi veſtigia eis expreſſit, ac ad bellum illud ſuſcipiendum tabernaculum interim ad Eccleſiæ ſimilitudinem regia magnificentia faciendum curauit, in quo Deo victoriarum datori, ipſe cum Epiſcopis ſupplicaret. Interea verò Perſę, cùm Imperatoris animum demouendo bello fama intellexiſſent, ac pugna cum illo congredi metuiſſent, oratores ad eum de petenda pace mittebant.[a] Ille viciſſim (vt erat ſemper pacis amantiſsimus) legatos obuiis vlnis accepit humaniſsimè: porrectaq; dextera, amicitiæ cum illis fœdus lubens iniuit. Magna autem agebatur diei Paſchæ eo tempore celebritas:[b] & Imperator cum cęteris pernoctans vota precesque Deo perſoluebat.

In tabernaculo militari Deo commendat ſuã expeditionem.

Ad pacem eſt propenſus.

Die Paſchæ pernoctat in diuinis laudibus.

[a Imperator Chriſtianus propenſus eſſe ad æquam pacem cum ab hoſtibus petitur, debet.
b Diei Paſchatis religio qualis apud veteres Chriſtianos.]

IV. Exemplum Conſtantii Imperatoris pugnaturi cum Magnentio.

Ex Theodoret: lib: 3. hiſt. cap: 3.

CONſtantius in expeditione belli Magnentiani vniuerſis militibus ſuaſit,[a] vt diuina ſecum myſteria communicare vellent, [b] ſemper enim incertum eſſe finem vitæ, multò autem maximè in bello, vbi tot vndiq; millia telorum, iaculorum, haſtarum immitterentur, tot enſes, gladijq; vibrarentur, aliæq; machinæ inſtruerentur, de quibus violenta mors inferri ſoleret, itaq; vnumquemque precioſa veſte illa indutum eſſe oportere, qua maximè illa in vita opus ſit futurum. Quod ſi quis, inquit, noluerit hoc tempore [c] amiculum illud ſibi circumdare, is nunc iam dimiſſus domum reuertatur: [d] nam niſi mecum initiatis in bello ſociis vti non volo.

Conſtantius vult milites infideles baptizari.

Recuſantes ex caſtris dimittit.

a Per diuina myſteria Baptiſmus hoc loco intelligitur.
b Eadem ratio ſuadet, vt milites ad ſacramenta Confeſſionis & ſacroſanctæ Euchariſtiæ alacres concurrant, vtpotè de vita pariclitaturi.
c Veſtem baptiſmalem quæ à baptizatis indui ſolebat intelligit.
d Milites eiuſdem religionis ſub ſigna militaria cogendi.

V. Exemplum Theodoſii ſenioris Imperatoris mouentis contra Maximum tyrannum.

Ex Baronij annalium tomo 4. Anno Chriſti 388.

Theodoſius exercitum pietate communit.

PRofecturus Theodoſius aduerſus Maximum, inprimis quibus valuit pietatis armis conatus eſt, conciliando ſibi diuinum numen exercitum communire. Siquidem perſentiens magni momenti opus ſe aggredi, dubiam iacere aleam, remq; tentare periculoſam, à Deo diuerſis modis ſibi implorare ſuppetias laborauit, vtpotè qui optimè ſciret Dei munus, atq; diceret vnà cum Dauid: In Domino faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros. Sed & in eo maximè eiuſdem pietas commendatur, quod tanti ponderis prælium auſpicaturus, legatos in Ægyptum miſit ad ſanctos ibi agentes anachoretas, quos pro ſe certantes pre-

Pſal: 43.

Anachoretarum preces

tes precibus habere voluit pugnatores. Inter alios autem [a] Ioannem ſanctiſsimum monachũ, quem S. Hieronymus magnoperè laudat, per eoſdem conſuluit de dubio belli euentu. Cùm prętera intellexiſſet, quòd in Scete (eſt autem hæc ſolitudo in Ægypto quidem ſita ſic nominata) philoſophabatur vir quidam genere & ipſe Ægyptius nomine Senuphius, maximorũ ſanè effector miraculorum, ſcribit protinus ad Theophilum Alexandriæ Epiſcopum, iubens vt efficiat quòd vir ille admirabilis quàm primum veniat Conſtantinopolim. Eis autem literis quoq; continebatur, quòd eius aduentu op⁹ eſſet. Ille verò, iis acceptis, ſtatim ad eum venit, & datis literis, preces Imperatoris & vſum qui vrgebat, ſignificat. Deinde etiam ipſe quoque ex ſe facit quod poteſt, vehementer rogat, orat, ſupplicat, ne preces deſpiciat Imperatoris, neq; ſuos vilipendat labores, ſed veniat ad ciuitatẽ, & bellum, quod in eam paratur, ſuis auertat precibus, & à tanto periculo & metu eam liberet, vtpote quod in eius poteſtate ſitum ſit, vt ciuitas vel ſalita ſit, vel intereat. Admirabilis

pro ſe expetiit.

a Ad Cteſiphontem.

Hæc ad verbum deſcripta ex Metaphraſte die 31. Ianuarij.

S. Senuphiũ ad ſe inuitat.

autem ille Senuphius primum quidem, vt conſentaneum eſt, ne rogaret prohibuit, non ad menſuram eius quam habebat gratiæ, ſed ad menſuram potius eius qua erat diues humilitatis aſpiciens: Magna eſt, inquit, mea in ciuitatem beneuolentia, & ipſam valdè ſaluam eſſe cupio: ſed non voluntatem quoq; vires ſequuntur ex ea quæ eſt ad Deum fiducia. Quin etiam rogauit ipſum Alexandrinum Epiſcopum, ne de eo talia ſentiret, neq; eum putaret vulgo antecellere. Cùm autem eum ipſe omninò non dimitteret, nec ſciret magnus quidnam faceret Senuphius: diſceſſum quidē ſuum pulchrè differt, dat autem ſic quoque auxilium, idq́; facit admirabiliùs. Nam & ſtatim ſtetit ad orientē: & cùm ſuperhumerale & baculum in cœlum ſuſtuliſſet, Domine Deus, inquit, Deus exercituum, da huic meo ſuperhumerali, & huic baculo, vt tantum poſſit quantum ego ipſe, ſi illic adeſſem. Hæc cùm Deo dixiſſet: quæ habebat in manibus, dat ſtatim Pontifici. Hæc accipe, dicens, & mitte ſtatim ad Imperatorem: ille autem ſuperhumerale quidem imponat capiti,

S. Senuphius mittit ſuperhumerale ſuum & baculum Theodoſio.

baculum verò manu ferat: deinde cùm manus opus fuerit conſerere cum hoſtibus, præcedat omnes alios,& audacter procedat aduerſus inimicos. Nam ſi ego quidem poſsim à Deo exaudiri,exiſtimo fore, vt ipſe ſit illis terribilis, & ſine ſanguine glorioſam referat victoriam. Hęc cùm ad Imperatorem lubēter eſſent allata: [b] ille quidem munit caput ſuperhumerali quauis galea tutius,baculo autem munit dexteram lāncea longè validius,& hac ratione confidens fore vt hoſtibus videretur terribilior,quàm olim (vt aiunt) claua Hercules. Iam accedentibus hoſtibus, ipſe primus præcedit ducens totum exercitum. Propter Senuphij autem ad Deum orationem nulla erat dilatio,ſed res ſtatim finē accipiebat. Simul ac enim eum viderunt barbari,admirati ipſum tanquam vnum ex cœleſtibus,ad fugam ſtatim ſpectabant, & pedum virtutem laudabant: fugiebant verò non aliquo certo ordine, (vt qui non eſſent omnino obliti virium) ſed vt qui eſſent amotæ mentis & perterriti, alij alio diſperſi,terga volentibus facilia,expedita venatio, ſecura perſecutio, &

Theodoſius libenter & humiliter accipit & vtitur.

Fugat hoſtes.

libera ab omni periculo: ipsi potius propter fugam, quæ erat sine vllo certo ordine, plagas & vulnera atq; adeò mortem sibi inuicem conciliantes: adeó vt Imperator non solùm sine sanguine, sed etiam sine vllo labore hanc victoriam retulerit.

a Memorat idem factum S. August. lib: 5. de ciuitate Dei, cap: 26. Theodosius, *inquit*, in angustiis curarum suarum, non est lapsus ad curiositates sacrilegas atq; illicitas; sed ad Ioannem in Ægypti eremo constitutum, quem Dei seruum propherandi spiritu præditum, fama crebrescente didicerat, misit, atque ab eo nuntium victoriæ certissimum accepit. &c.

b Mira animi demissio tanti Imperatoris, singularis præterea in Deum fiducia, qua nixus, penè inermis, Dauidis instar Goliath adorientis, non dubitauit plus vili monastico superhumerali & baculo, quàm ferreo thoraci & galeæ tribuere.

VI. Exemplum eiusdem Theodosii inituri certamen cum Eugenio tyranno.

Ex Ruffino lib: 2. Eccl: histor. cap: 32. & 33.

THeodosius initurus certamen cum Eugenio, primò Dei voluntatem per Ioannem monachum (de quo supra memorauimus) est sciscitatus. Tum ille qui primam de Maximo ei victoriam prędixerat incruentam, etiam

hanc

hanc licet non abſq; plurima vtriuſque ſanguinis inundatione promittit. [a] Igitur pręparatur ad bellum non tam armorum telorumq́; quàm ieiuniorum, orationumq́; ſubſidiis, nec tam excubiarum vigiliis, quàm obſecrationum pernoctatione munitus circumibat cum ſacerdotib⁹ & populo omnia orationum loca: [b] ante Martyrum & Apoſtolorum thecas iacebat cilicio proſtratus: & auxilia ſibi fida ſanctorum interceſsione poſcebat. Vbi ad pugnam ventum eſt, & cõuerſas ſuorum acies vidit, vnde & conſpicere & conſpici ab vtroq; poſſet exercitu, proiectis armis ad ſolita ſe vertit auxilia, & proſtratus in conſpectu Dei: [c] Tu, inquit, omnipotens Deus noſti, quia in nomine Chriſti Filij tui vltionis iuſtæ, vt puto, prælia iſta ſuſcepi: ſi ſecus, in me vindica: ſi verò cum cauſa probabili, & in te confiſus huc veni, porrige dexterã tuis, ne fortè dicant gentes, vbi eſt Deus eorum? Quam ſupplicationẽ pij Principis certi à Deo eſſe ſuſceptam hi qui aderant duces, animantur ad cædem: & præcipuè Bacurius, vir fide, pietate, virtute, & animi & corporis inſignis, & qui

Theodoſii ad bellum præparatio pia & religioſa.

Eius ad Deum precatio.

qui comes esse & socius Theodosij mereretur, proximos quosq; conto, telis, gladio, passim sternit, agmina hostium confecta & constipata perrumpit: iter per millia ruentium ad ipsum tyrannum, ruptis agminibus & aceruatim fusis stragibus agit. Vix fortasse ab impiis credãtur quæ gesta sunt. Etenim compertum est, quòd post illam Imperatoris precem, quam Deo fuderat, ventus ita vehemens exortus est, vt tela hostium in eos qui iecerant retorqueret. cumq; magna vi persistente vẽto omne iaculum missum ab hostibus frustraretur, fracto aduersariorum animo, seu potius diuinitus repulso, Arbogasto duce necquicquam fortiter faciente, Eugenius ante Theodosij pedes vinctis post terga manibus adducitur: ibiq; vitæ eius & certaminis finis fuit.

Effectus precum Theodosii.

Eugenium capit.

De eodem ex Theodoreto lib: 5. hist. cap: 24.

Theodosius, cùm milites suos videret animis consternatos, inuentâ ædicula deprecatoriâ in montis vertice, vbi castra metabatur, [e] totam noctem in illa supplicans omnipotenti Domino consumsit. Manè autem, quum galli cantare solent,

Theodosius pernoctat in oratione.

re ſolent, ſomnus præter ſententiam eum inuaſit, humique ſtratus videre viſus eſt duos viros candidis veſtibus, vectos albis equis, qui bono eſſe ipſum animo iuberent, & formidine pulſa, quum illuxiſſet, armatū exercitum inſtructūq; educere ad pugnam: ſe enim miſſos opitulatores propugnatoreſq; ipſius, eſſeque vnum Ioannem Euangeliſtam, alterum Philippum Apoſtolum. Hoc viſo conſpecto à ſupplicando non deſtitit Imperator; ſed maiore cum cura Deum precabatur. Idem viſum & militi cuidam oblatum fuit. qui cum centurioni indicaſſet ſuo, adducitur ad tribunum, & mox ad ducem. Is rei nouitate motus Imperatori nunciat. At ille: Non mea, inquit, cauſa hoc ipſe vidit, ego enim promiſsionibus victoriæ fidem habui: ſed ne quis putaret hoc viſum à me confictum eſſe, qui tantopere cuperem confligere: itaq; & iſti demonſtrauit opitulator imperij mei, ne teſtimonij authoritas deeſſet narrationi meæ. Mihi enim priùs hoc viſum communis Dominus obtulerat. Quare omni formidine abiecta, propugnatores & principes belli ſequamur: ne quiſ-

Ioannem & Philippum Apoſtolos adiutores diuinitus accipit.

quam victoriam pugnantium multitudine æ-
ſtimet, ſed ductorum cõſideret quiſq; potentiã.
Hæc & apud milites locutus, confirmatis om-
nium animis copias de monte produxit. Ty-
rannus quoq; de procul conſpecto hoſte, quem
pugnaturum cerneret, ſuos inſtruit: ipſe collem
occupat: iubetq́, duces viuentem vinctumq́ue
Imperatorem ſibi adducere. Moribund⁹ enim
& cupidus, inquit, vitæ finiendæ nobiſcum ille
congreditur. Sed iam ordinibus cõſtitutis, mul-
tis partibus vincebant hoſtes numero, & Impe-
ratoris copiæ ita conſtiterãt, vt poſſe numera-
ri viderentur. Cumq́; iam pugna vtrinq; inci-
peret, & tela coniicerẽtur, manifeſtam promiſ-
ſionis ſuæ fidem fecerunt propugnatores illi.
Coorta enim vis contraria hoſtibus venti auer-
tit ſagittas illorum, & baliſtas, ac haſtas: neque
vllius teli vſus erat: neq; legiones vel ſagittarij,
vel funditores nocere regiis poterãt copiis: quin
etiam illatus puluis ingens in ora hoſtium o-
culos aperire non ſinebat: cogebatq́; defenſio-
nem palpebrarum ad oppugnatos illos adduce-
re. At regius miles nullo affectus tempeſtatis

Eugenius iubet ſibi adduci viuum Theodoſium.

Ventus miraculoſè cõcitatus iuuat Theodoſium.

tantæ detrimento confidenter ad cædem hostium grassabatur. Quare animaduersa, & perspecta diuina opitulatione, abiectis armis ad petendam salutem hostes conuertebantur. Quã leni animo rex concedens celeriter adducere ad sese tyrannum imperat. Ibi illi procurrẽtes ad tumulum quem tyrannus insederat, ignarus omnium qui iam incitatos ac anhelantes aduenire cernens, speraret properare ad se nuncios victoriæ. Quærit igitur anne & Theodosium vinctum, vt iussi sint, adducant. At illi: Non eum quidem nos, inquiunt, sed ad ipsum te adducimus. Hoc enim est imperium vniuersum, hoc moderatissimum. Ita locuti [h] de solio abrepto vincula iniiciunt, & adducũt captiuum illum, qui modò tam magnifice fuisset locutus. Tum rex memoria illi reuocata delictorum in Valẽtinianum, & impia tyrannide, & scelerato bello aduersus legitimum imperium obiecto, [i] etiã Herculis exprobrata imagine, & vana fiducia illius, iustam & legitimam contra eum sententiam pronunciauit. Sic erat Theodosius & in pace, & in bello, qui & semper peteret diuinum auxilium, & nunquam illo fraudaretur.

Hostes arma abijciunt.

Eugenium ipsum viuũ ad Theodosium adducunt.

De

De eodem ex Sozomeno lib: 7. hist cap: 24.

Fertur de Theodosio, quod cùm egressus Cõstãtinopolim ad septimum milliare peruenisset, Deo preces nuncuparit in Ecclesia illa quã in honorem Ioannis Baptistæ construxerat: ac petierat, vt expeditionis istius alea, tum sibi, tum exercitui suo, tum Romanis omnibus feliciter caderet:[k] & auxilarem sibi inuocauerit ipsum Baptistam. Porrò dum pugna committeretur, ex eo temploquod erat in Hebdomo, in quo preces fuderat Imperator, egressus dœmon quidam, subreptus in sublime Ioanni Baptistæ conuitiatus est, magnaq; voce clamauit: Tuné me vincis, & exercitui meo insidiaris? Huic rei qui forte pręsentes aderant, cùm magnum esset apud omnes studiũ de bello vel audire aliquid vel dicere noui, obstupefacti adnotarunt eundem hunc fuisse diem, quo felicem belli euentũ extitisse non multò pòst ab iis cognouerũt, qui pugnæ interfuerant.

Dœmon inuidet victoriam Theodosio.

De eodem ex Baronio Anno Christi 393.

Inter alia digna memoria quibus diuinum numen sibi cõciliare Theodosius studuit, illud

etiam

etiam fuit, quo magnam excitauit admirationem:& summam concitauit sibi laudem:dum, quo tempore ad immensas bellorum expensas consueuerunt Reges indicere noua tributa populis sibi subditis, ipse non modò ab his tantùm abstinuit, vt nouas exactiones inferret, sed recens indictum tributum à Præfecto Prętorio Tatiano omnino remisit. Hoc rogo attēdant, qui in bellico apparatu non largitionib⁹ & eleemosynis preces pauperum sibi conciliant, sed eorum luctu ex acerbioribus exactionibus & clamoribus Deum contra se prouocant: & infensum penitus reddunt, secundum illud Dauidis dicentis: Propter miseriam inopum & gemitum pauperū, nunc exurgam dicit Dominus. cùm interdum contingat ea ipsos subditos pati à suis, quæ nec ab hostibus forent aliquando experturi. Vnde accidit vt quantumlibet belli iusta causa præcesserit, cogatur tamen vt ita dicam, Deus inuitus in suos arma conuertere, quæ in hostes exacuerat. Idem præterea Theodosius optima quæque mente agitans, ne quid indignum, quo diuina prouocaretur vindicta,

Theodosius ad bellum iturus tributa remittit populo.

Psal. 11.

dicta, milites perpetrarēt licentia militari, quò eos intra fines modestiæ contineret, rescripsit adComites,[m] ne milites à suis hospitib⁹ lignum, aut oleum, culcitras vé poscerent, aut pro annonariis speciebus pretium exigerent. Et in eos, qui ditiorum sibi procurarent hospitia, ista sanciuit: Si quis mēsorum nostrorum manum qua deputatas singulis quibusq; domus enotant, & postibus hospitaturi nomen adscribunt, delere non dubitauerit, ad instar falsi reus teneatur.

Leges militares fert. NOTA.

Lib: 4. de Metat. cod. Theodos. NOTA.

De eodem ex D. Augustino lib: 5. de ciuit: Dei, cap: 26.

Theodosius Eugenium accepto prophetico responso fide certus oppresit: contra cuius robustissimum exercitum magis orando quàm feriendo pugnauit. Milites nobis, qui aderant, retulerunt extorta sibi esse de manibus, quæcunq; iaculabantur, cùm à Theodosij partibus in aduersarios vehemens ventus iret. & non solùm quæcunq; in eos iaciebantur concitatissimè raperet, verùm etiam ipsorum tela in eorū corpora retorqueret. Vnde & pöëta Claudian⁹, quamuis à Christi nomine alienus, in eius tamen laudibus dixit:

O nimium

O nimium dilecte Deo, cui fudit ab aſtris
Se Iouis armatus: vehemens tibi militat æther:
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Victor autem, ſicut crediderat & prædixerat, Iouis ſimulachra, quæ aduerſus eum fuerant neſcio quibus ritibus velut conſecrata, & in Alpibus conſtituta, depoſuit; eorumque fulmina, quòd aurea fuiſſent, iocantibus (quod illa lætitia permittebat) curſoribus, & ſe ab eis fulminari velle dicentibus hilariter benigneq; donauit. Inimicorum ſuorum filios, quos non ipſius iuſſus, ſed belli abſtulerat impetus, & nondum Chriſtianos ad Eccleſiam confugientes, Chriſtianos hac occaſione fieri voluit, & Chriſtiana charitate dilexit, nec priuauit rebus, ſed auxit honoribus. In neminẽ poſt victoriam priuatas inimicitias valere permiſit. Bella ciuilia non ſicut Cinna, & Marius, & Sylla, & alij tales, qui nec finita finire voluerunt; ſed magis doluit exorta, quàm cuiquam nocere voluit terminata. Inter hæc omnia ex ipſo initio imperij ſui non quieuit iuſtiſsimis & miſericordiſſimis legib. aduerſus impios laboranti Eccleſię ſubuenire, quam Valens hæreticus fauens Ar-

Parta victoria Theodoſius liberalis in milites.

Qualis ergæ inimicos.

Eccleſiam Catholicam aduerſus hæreſes legibus munit.

Obseruātia ipsius erga Ecclesiam. rianis vehementer afflixerat, cuius Ecclesiæ se membrum esse, magis quàm in terris regnare gaudebat: simulachra gentilium vbique euertenda præcepit, satis intelligens, nec terrena munera in dœmoniorum, sed in Dei veri esse posita potestate.

a Christiana ad bellum præparatio. Haud dissimiliter olim faciebat Regius Propheta, qui de seipso hæc ait: *Ego autem cùm mihi molesti essent,* (subintellige hostes) *induebar cilicio. Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur.*

b Sancti quoque auxiliares in bellis patroni sunt inuocandi.

c Tutissimum in perspicuo discrimine ad Deum per orationem perfugiū.

d Deus & venti pugnant pro pio Imperatore contra hostes impios.

e Mira in orando Deo Theodosij perseuerantia, illi Dauidicæ persimilis, *Psal. 76.* qui de se ait: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.*

f Eiusmodi visiones crebro leguntur diuinitus belli ducibus oblatæ. Sic *2. Mach. ca. vlt.* Iudas Machabæus cū Nicanore pugnaturus vidit in somnis Oniam, qui fuerat summus sacerdos, manus protendentem, & pro omni populo Iudæorum orantem. Vidit præterea Ieremiam Prophetam extensa dextera gladium sibi porrigentem aureum, & dicentem: *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deiicies aduersarios populi mei Israël.* Sic noster Cromerus *Cromer. l. 9.* memorat, orante piissima Kinga Boleslai Pudici Polon: Principis vxore, pro exercitu cum Russis decertante, adstitisse ei duos candidatos, & futurum euentum belli prædixisse: creditumque eos fuisse SS. Geruasium & Prothasium, quorum memoriæ dicata erat dies illa, qua pugnatum & debellatum est. *Cromer: libro 10.* Similiter Lescus Niger accepto nuntio de incursione Lithuanorum & Iazigum in Lublinensem regionem hostes persecutus: cùm eos consequi non posset, sopor eum ex molestia animi & labore itineris fatigatum inuasit. cum ecce in somnis ab Archangelo Michaële sponsione certæ victoriæ confirmatus est, & barbaros persequi iussus. Respondit euentus. victoria potitus Lescus Iazigas deleuit: Lithuanorum maximam stragem edidit, ne vno quidem ex suis amisso. Victor reuersus Lublini templū monumentum victoriæ suæ condidit, ac D. Michaëlis memoriæ dedicauit. Ita Cromer.

g Præ-

g Præſumptio ſuperba victoriæ cauenda: *Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

h Superbus hoſtis id paſſus eſt Deo permittente, quod Theodoſio fuerat minatus. *Conuerſus eſt dolor eius in caput eius*: Pſalm: 7. Ita etiam Crucigeri bellum contra Wladiſlaum Iagellonem Poloniæ Regem geſturi magnam vim catenarum ad vinciendos Polonos comparauerant. Sed malo ſuo primi eas experti, ſuiſque vinculis conſtricti ſunt. Herburt lib. 13. c. 5.

i Herculis enim imago exercitum Eugenii præcedebat: Theodoſii vero Crux Saluatoris noſtri ſignum præferebatur.

k Salutare conſilium Diuorum aliquem Patronum belli expetere. Sic Longobardi Catholici effecti S. Ioannem Baptiſtam (Theodoſium imitati) patronum ſibi pacis belliq; apud Deum delegerant voto facto de certa penſione quotannis ad eius oraculum mittenda. Paul: Diacon: lib. 4. de geſt: Longobard. c. 7. Eodem modo Hungus Pictorum Rex D. Andream Apoſtolum, in cuius tutela gens Pictica erat, frequentibus ſuſpirijs lachrymiſq; orabat, vt exercitui ipſius contra Anglos auxiliaris foret. Soluto Regi intẽpeſta nocte in ſoporem ex templo adſtans Apoſtolus iuſſit alacri eſſe animo, plurimamque ſpem in diuina ope locare, fore vt glorioſam de Anglis poſtero die aſſequeretur victoriam. Mirum tunc accidit. Supra Pictorum caſtra lucida in cœlo apparuit Crux, illius inſtar qua S. Andreas ſupplicio erat olim affectus. Quam hoſtes conſpicati, quippiam mali portento tali ſibi præſagientes, ingenti pauore perculſi ſunt. Ita Hungus victor è prælio diſceſſit. Ex Hector: Boëtio libro 10. hiſt: Scotic.

l Iuuat hoc loco annotare, quid de tributis, quæ occaſione bellorum imponi grauia ſolent, D. Gregor: Magnus ſenſerit. Cùm enim audiſſet incolas Siciliæ & Corſicæ duris exactionibus Præfectorum exhauriri, ſcripſit ad Cõſtantiam Mauritii Imperatoris coniugem epiſtolam, in qua inter alia ait: *Libro 4. ep. 33.*
„ Hæc ſunt piiſſimo Domino apto tempore ſuggerenda, vt ab anima ſua, ab
„ Imperio, atque à filiis ſuis tale facinus peccatiq; pondus amoueat. Qui ſcio
„ quoniam dicturus eſt, quia nobis in Italiæ expenſis tranſmittitur, quicquid de
„ prædictis inſulis aggregatur. Sed ego ſuggero, vt etſi minus expenſæ in Italia
„ tribuantur, à ſuo tamen Imperio oppreſſorum calamitates compeſcat. Nam
„ iccirco fortaſſe tantæ expenſæ in hac terra minus ad vtilitatem proueniunt;
„ quia cum peccati aliqua admixtione colliguntur. Præcipiant ergo ſereniſſi-
„ mi Domini nil cum peccato colligi. Nam ſcio quia, etſi parum Reipub: at-
„ tribuitur vtilitatibus, ex eo multum Reſp: adiuuatur. Quam etſi fortaſſe
„ contingat expenſis minoribus minus adiuuari; melius tamen eſt tempora-
„ liter nos non viuere, quàm vos ad æternam vitam obſtaculum aliquod inuenire.

nire. Ita ſanctiſſimus iſte & grauiſſimus Pontifex cenſuit ſubditos non eſſe exactionibus nomine belli opprimendos, tum quod iuſto Dei iudicio minus Reſpub: adiuuetur pecunia huiuſmodi exactionibus extorta; tum quod ſatius ſit minus vectigalium Rempub: habere, quàm eos qui præſunt de ſalute animæ ob iniuſtam ſubditorum vexationem periclitari. Quid ergo hic Pontifex ſenſiſſet de exactionibus per vim à militibus ſolitis extorqueri?

Flau: Vopiſcus in Aureliano. m Extat epiſtola Aureliani Imperat quam ad Vicarium ſuum de militari diſciplina ſcripſit huiuſmodi: Si vis Tribunus eſſe, immo ſi vis viuere, ma-" nus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat: ouem nemo contingat: " vuam nullus auferat: ſegetem nemo deterat: oleum, ſal, lignum nemo exi-" gat: annona ſua contentus ſit. De præda hoſtis non de lachrymis prouin-" cialium habeat. Stipendium in balteo non in popina habeat: in hoſpitiis ca-" ſtè ſe agat: qui litem fecerit, vapulet. &c. *Front: lib: 4. ſtratag: c. 3.* Marcus etiam Scaurus prodidit pomiferam arborem, quam in pede caſtrorum fuerat complexa metatio, poſtero die abeunte exercitu intactis fructibus à militibus relictam. *Lamprid: in Seuero.* Alexander quoq; Seuerus Imperator Parthicam expeditionem tanta diſciplina, tanta reuerentia ſui egit, vt non milites, ſed ſenatores tranſire dicerentur. Quacumque legiones iter faciebant, tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabiles erant: ipſum vero ob hæc tot & tanta bona, prouinciales vt Deum ſuſcipiebant. *Caſſiod: lib: 6. variar. epiſt: 22.* Theodoricus Rex Italiæ militum Præfecto in hæc verba præcipiebat: Non permittas milites eſſe poſſeſſoribus inſolentes: annonas " ſuas ſub moderatione ſuſcipiant. Pro ſecuritate omnium ſe agnoſcat ele-" ctum, qui ſe gloriatur habere armatum. *Lib: 7. var. epiſt: 4.* *Et alio loco:* Milites tibi commiſſi viuant cum prouincialibus iure ciuili: nec inſoleſcat animus, qui ſe ſentit " armatum. quia clypeus ille exercitus noſtri quietem debet præſtare Roma-" nis. Quos ideo conſtat appoſitos, vt intus vita felicior, ſecura libertate car-" patur. *Lib: 5. var. epiſt: 26.* *Et iterum:* Venientium veſtrum ad nos (alloquitur milites) nullus " prouenire poſſit exceſſus, nec poſſeſſorum ſegetes aut prata vaſtetis: ſed ſub " omni continentia properantes, vt de cuſtodita diſciplina grata nobis eſſe ve-" ſtra occurſio poſſit. Quia ideo exercituales gratanter ſubimus expenſas, vt " ab armatis cuſtodiatur intacta ciuilitas. Hæc iſti præcipiebant & præſta-" bant. Nunc alia rerum facies, quod ſanè dolendum eſt, cernitur. Milites cernas hoſpitibus ſolis metuendos, quorum lingua vana, manus rapaciſſimæ. quibus vt ad populandos finitimorum agros & capienda pecora aliqua vis ſit, in acie ac ſignis collatis nulla eſt; lingua quàm manu promptiores, prædatores ſuorum, & ipſi præda hoſtium.

VII. Exem-

VII Exemplum Heraclii Imperat. bellum cum Perſis gerentis.

Ex Theophane, Cedreno, & Baronio Anno 621. & 622.

HEraclius Imperator celebrata ſolemnitate Paſchali mox ſecunda feria mouit contra Perſas. Sumens igitur venerandā Chriſti imaginem iurauit vniuerſo exercitui ſe vnà cum illis vſq; ad mortem ſtrenuè certaturum, militesq; omnes loco filiorum habiturum.[a] Ita beneuolentia potiùs quàm potentia ſibi conciliauit exercitum: fortemque reddidit aduerſus Perſas eiuſmodi verbis:[b] Videte, fratres & filii, quòd inimici Dei cōculcauerint regionem noſtram: & vrbes exterminauerint: & altaria cōcremarint: & menſas incruentorum ſacrificiorum ſanguinibus homicidiorum repleuerint: & Eccleſias, quæ flagitia non admittunt, flagitioſiſsimis repleuerint voluptatib9.[c] His adiecit præcepta, quibus omnes commonuit ſectari iuſtitiā ac pietatē, & à peccatis penitus abſtinere. Inde[d] magnum templū ingreſſus atrat9 calceos pronus procùbuit, & ita precatus eſt: Domine

Heraclius beneuolētia deuincit ſibi milites.

Eius oratio ad milites.

Hortatur omnes ad pietatem.

Eius humilitas.

Oratio eiusdem ad Christum.

mine Iesu Christe, ne nos propter peccata nostra hostibus tuis irridendos prębeas: sed intuere in nos ac miserere nostri, & victoriam de hostibus tuis concede, ne glorientur scelerati, & tuæ insultent hæreditati. Hunc ita animo demisso orantem videns Georgius Episcopus Pisidensis ita allocutus est:

Prædicitur illi victoria.

Nigrum, Imperator, nunc indute calceum
Rubefacies tinctum cruore Persico.

Vincit.

Et prædictionem probauit euentus. Iusta enim conserta pugna victores Romani Persicum exercitum deleuerunt, animos exercitui addēte Heraclio, qui audacter in primam aciem prosiliebat, ac pro suis pugnabat. Sed repetito iterum & instaurato à Persis bello Heraclius aduocato exercitu suo, verbis exhortatoriis incitabat eos dicens: [e] Viri fratres, Dei amorem in mente sumamus: iniuriam eius requirere satagamus. Stemus igitur fortiter aduersus inimicos, qui multa dira in Christianos operati sunt. Reuereamur Romanum imperium, quod eiusdem ipsius est Domini, & non alterius: & stemus aduersus hostes impiis telis armatos. Induamus

Iterum hortatur milites.

mus fidem, nec timeamus interremptricē gentem: quia intra terram Perſarum conſiſtimus, & ingens fuga fert periculum. Vindicemus corruptiones virginum: reciſa commilitonum membra noſtrorum videntes corde doleamus. Non ſunt hęc nullam mercedem habentia; ſed vitæ perennis præmia. Stemus vigilanter, & Dominus nobis cooperabitur, & perdet inimicos noſtros. Cumq́, Imperator his & aliis quāplurimis commonitionibus populum exhortatus eſſet, reſpondit ei vnus pro omnibus: Dilataſti anguſtiam cordis noſtri, Domine, os tuum in admonitione dilatans: acuerunt ſermones tui gladios noſtros, & animos qui vinci nequeūt, effecerunt. Expeditos nos tuis verbis exhibuiſti. Erubeſcimus in pugnam te aſpicientes non procedere: & iuſsiones tuas in omnibus ſequimur. Hæc nomine omnium dicta. Imperator autem mox ad Perſidem interiorem acceſsit igne cōburens vrbes & caſtra. Fit interim terribile hic quoddā miraculū. In æſtiuo quippe ſolſtitio æther ſudore factus eſt madidus, animos Romani exercitus recreās, adeò vt hinc

Cohortatione eius exercitus animatur.

Ros milites recreans omen victoriæ.

ſpem optimam ſumerent, ſecundum quod ſcri-
Pſal: 67. » ptum eſt: Pluuiam voluntariã ſegregabis Deus
» hæreditati tuæ, & infirmata iſt: tu verò perfe-
» ciſti eam. Quid multa? cõſeruntur manus: Per-
ſæ terga vertunt: Heraclius potitur victoria. Iuſsit deinde exercitum ſuum tribus diebus diuinum oraculum præſtolantem caſtè ac purè conuerſari: ſicq; reſponſo accepto in Albania decreuit hyemare. Dum verò abiens iter ageret, vehemẽs tempeſtas & gelu occupauit eum in via. Habebat verò ſecum quinquaginta mil. captiuorum:[f] quibus compaſſus corde omniũ vincula ſoluit, indulgentiam ac libertatem omnibus tribuens; ita vt omnes cum lachrymis exorarẽt, vt vniuerſo Perſico regno potiretur.

Captiuos liberos victor dimittit.

a Magnum Imperatori in beneuolo milite præſidium. Porrò beneuolentiam militum non alia ratione facilius conciliat Dux, quàm ſi periculorum & diſcriminum velit eſſe ſocius, & exemplo cæteris omnibus præire. Qualis etiam fuit ille apud Liuium qui dicebat: *Facta non dicta mea vos milites ſequi volo, nec diſciplinam modò, ſed exemplum etiam à me petere.*

Liuius li. 7.

b Incitandi milites ad prælium amore potiſſimum Eccleſiæ & patriæ defendendæ. Ita feciſſe legitur Simon Machabæus, qui videns ſuos omnes conſternatos ob metum Tryphonis, adhortans eos & animans dixit: *Vos ſcitis quanta ego & fratres mei fecerimus pro legibus, & pro ſanctis prælia, & anguſtias quales vidimus. Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis. Vindicabo itaque gentem meam & ſancta, natos quoque noſtros & vxores, quia congregatæ ſunt vniuerſæ gentes conterere nos. Et accenſus eſt ſpiritus populi ſimul, vt audiuit ſermones iſtos. &c.* Eodem

1. Mach. 13.
1. Mach: 3.

modo

modo se animabant illi Israëlitæ, qui dicebant: *Erigamus deiectionem populi nostri, & pugnemus pro populo nostro, & sanctis nostris.* 1. Mach: 3.

c Imitatus est Heraclius Iudam Machabæum, qui præliaturus cum hostibus hortabatur populum conseruare se sine peccato. Verissime dicebat olim S. Hieronymus: *Nostris peccatis barbari fortes sunt: nostris vitiis Romanus superatur exercitus.* Saluianus quoq; Massiliensis Episcopus ideo sensit traditos olim Hispanos fuisse Vandalis hostibus longe infirmioribus, vt ostenderetur non vires valere, sed causam: neque illos ignauissimorum hostium fortitudine obrutos, sed vitiorũ propriorũ impuritate esse superatos. Hier: ep. 3. Libro 7. de prouident.

d Iudas quoque Machabæus, vt legimus lib: 2. Machab: cap: 10. & qui cum ipso erant, *appropinquante hoste deprecabantur Dominum caput terra aspergentes, lumbosq; ciliciis præcincti, ad altaris crepidinem prouoluti; vt sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus.*

e Accendendi milites ad confligendum fortiter, cohortatione ducum. Sic sacra historia testatur Iudam Machabæum suos ad pugnandum cum Nicanore his verbis animasse; *Illi quidem armis confidunt, simul & audacia: nos autem in omnipotente Domino. qui potest & venientes aduersum nos, & vniuersum mundum vno nutu delere, confidimus. Admonuit autem eos & de auxiliis Dei, quæ facta sunt erga parentes; & quòd sub Sennacherib centum octoginta quinq; millia perierunt. &c. quibus verbis constantes effecti sunt, & pro lege & patria mori parati.* Et alio loco: *Accingimini,* ait, *& estote filij potentes; vt pugnetis aduersus nationes has, quæ conuenerunt aduersus nos, disperdere nos, & sancta nostra. Quoniam melius est nos mori, quàm videre mala gentis nostræ & sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* 2 Mach: 8. 1. Mach: 3.

f Erga captiuos vtendum indulgentia, quæ hostium etiam animos deuincit: & alioquin crudelitas in hoc genere famam partæ victoriæ lacerat & obscurat.

VIII Exemplum Clodouei Regis Francorum gesturi bellum cum Alarico Rege Gothorum.

Ex Hincmaro, Gregorio Turonensi, & Baronio, Anno 507.

AVspicaturus Clodoueus difficillimũ prælium cum hoste potentissimo Alarico

Clodoueus iturus ad bellum petit Episcopalē benedictionem.

primùm[a] omnium benedictionem petit à S. Remigio Episcopo. qui ei & benedictionem dedit; & victoriam in verbo Christi respondit.[b] Vniuerso deinde exercitui Rex edita sanctione mandauit, ne quid per huiusmodi bellum damni inferretur Ecclesiis, sacrisvé ministris, personis, rebusq; ad eos spectantibus. Et quoniam pars hostium per territorium Turonicum transibat, pro reuerentia B. Martini dedit edictum, vt nullus de regione illa aliud quàm herbarum alimenta aquamq; pręsumeret. Quidam autem de exercitu inuento cuiusdam pauperis fæno ait; Nonne rex herbam tantū præsumi mandauit, & nihil aliud? & hoc, inquit, herba est. Nō enim erimus transgressores præcepti eius, si eam præsumimus. Cumq; vim faciens pauperi, fænum vi abstulisset, factū peruenit ad Regem. Quo dicto citiùs gladio perēpto ait; Et[c] vbi erit spes victoriæ, si B. Martinus offenditur? satisque fuit exercitui nihil vlterius ab hac regione pręsumere. Ipse verò Rex direxit nuntios ad beatam basilicam, dicens: Ite, & forsitan aliquod[d] victoriæ auspicium ab

Vetat damna inferri Ecclesiis.

Greg: Tur. lib: 2. hist: Franc. c. 32.

Militem qui pauperi fænum vi abstulerat capite plectit.

æde

ædeſancta ſuſcipietis. Tunc datis muneribus, *Munera*
quæ loco ſancto exhiberent,ait; Si tu,Domine, *mittit ad*
adiutor mihi es, & gentem hanc incredulam, *baſilicam S. Martini.*
ſemperq; æmulam tibi meis manibus tradere *Omen vi-*
decreuiſti, in ingreſſu baſilicæ S. Martini di- *ctoriæ petit.*
gnare propitius reuelare: vt cognoſcam quia
propitius dignaberis eſſe famulo tuo. Maturā-
tibus autem pueris, & ad locum accedentibus
iuxta imperium Regis, dum ſanctam ingrede- *Obtinet.*
rentur baſilicam,hanc antiphonam ex impro-
uiſo Primicerius qui erat incœpit:Præcinxiſti *Pſal: 17.*
me Domine virtute ad bellum: ſupplantaſti
inſurgentes in me ſubtus me: & inimicorum
meorum dediſti mihi dorſum; & obedientes
me diſperdidiſti. Quod ſatellites audientes, &
Domino gratias agentes, & vota beato confeſ-
ſori promittentes, læti renuntiauerunt Regi.
Porrò ille, cùm ad fluuium Vigennam cum e-
xercitu aduenisſet,per quem locum tranſire de-
beret penitus ignorabat: intumuerat enim ab
inundatione pluuiarum. Cùmq; illa nocte Do- *Vadum in*
minū deprecat⁹ fuiſſet,vt ei vadum,quo tranſi- *flumine re-*
re poſſet, dignaretur oſtēdere: manè facto cer- *perit mon-ſtrante ceruâ.*

ua mirę magnitudinis ante eos nutu Dei flumē ingreditur, illaq; vadante populus quà transire posset agnouit. Veniente autem Rege apud Pictauos, dum eminus in tentoriis commoraretur, f pharus ignea de basilica S. Hilarij egressa visa est ei tanquam super se aduenire: scilicet vt lumine beati confessoris adiutus Hilarij liberiùs hæreticas acies, contra quas sępe idem sacerdos pro Fide conflixerat, debellaret. g Contestatus est autem omni exercitui, vt nec ibi quidē aut in via aliquid spoliarent; aut res cuiusquam diriperent.

Omen aliud victoriæ.

Prohibet militum spoliationes.

a Leo Imperator in suis Tacticis decreuit, vt priusquam ineatur præliū, omnes milites sanctificentur per Sacerdotes, aspersione nimirum aquæ benedictæ. Præcepit etiam Turmarchis curare, vt vno vel altero die ante prælium, vexilla à sacerdotibus benedicantur, & sanctificentur; & postea vexilliferis cohortium tradantur. Olim etiam Angli habebant certum ritum consecrandi militem, cuius formam Ingulphus in sua historia describens ait: *Anglorum erat consuetudo: quòd qui militiæ legitimè consecrandus esset, vespera præcedente diem suæ consecrationis apud Episcopum, vel Sacerdotem aliquem, contritus de omnibus suis peccatis confessionem faceret; & absolutus, orationibus & afflictionibus deditus, in Ecclesia pernoctaret; in crastino quoque Missam auditurus gladium super altare offerret; & post Euangelium Sacerdos benedictum gladium collo militis cum benedictione imponeret; & communicatus ad eandem Missam sacri Christi mysteriis miles legitimus permaneret.* Petrus item Blesensis grauis author scribit, tirones enses suos de altari recipere solitos, vt se filios Ecclesiæ profiterentur. Deniq; in Romano cæremoniali exstat benedictio ensis, & militis. Iuuat etiam, vt miles vel sanctorum reliquiis, vel AGNO benedicto profecturus ad bellum se communiat. Sanè mirificam vim Agni benedicti Deus præsenti miraculo confirmauit in quo-

Epist. 94.

dam

dam milite Hispano. Rem gestam memoriæ prodidit Antonius Gabutius lib: 2. de vita Pii V. Pont. Cùm enim militem quendam catholicum Hispanum ab Aurantio Duce in Belgio captum arboriq; alligatum milites hæretici æneorum tormentorum ictibus occidere conati essent, tantum abfuit, vt illum confoderent, vt ne creberrimis quidem ac vehementissimis ignitis globis in eum emissis vel minimùm lædere potuerint. Quo viso obstupefacti eum vestibus exuere cœperunt, rati hominem occultis quibusdam armis communitum; quæ globorum vis penetrare non posset. Sed cùm nihil in eo præsidii reperissent, præter sacrum A G N V M è collo pendentem; hoc illi detracto primo ictu transuerberatus occubuit. *Cerei oscilli sacri virtus.*

b Hoc exemplo docetur prouidendum esse Christianis ducibus, vt milites suos edictis & pœnis à bonorum Ecclesiasticorum spoliatione cohibeant. Sunt enim bona eiusmodi ab omnibus bellorum oneribus libera. Quod de bonis Ecclesiasticis Regni huius tam notum est, vt à nullo iuris Polonici vel mediocriter gnaro in dubium vocari possit. Graui itaque scelere nostri milites se obstringũt, quoties ex bonis Ecclesiasticorum stationes quas vocant, quasi iure sibi debitas exigunt, & extorquent: vel alia ratione adscriptitios Ecclesiasticorum vexant, & spoliant. Quo enim quæso iure id faciunt? Num communi? At nullum tale extat. Num priuato militari? At hoc eiusmodi est vt contenti suis stipendiis viuant. Num consuetudine nituntur? At hæc non consuetudo est, sed corruptela; quam omnes boni detestantur: & planè sublatam cupiunt. Num necessitate adducti manus alieno admouent? At si necessitate premuntur, cur ad eam subleuandam subsidium ex nobiliũ laicorum bonis non petunt? Dicent, nobiles alios immunitate talium onerum gaudere. At ea quoque gaudent Ecclesiastici. Rursum dicent nobiles ad militum stipendia pecuniam per mansos agrestium suorum conferre: atqui Ecclesiastici nostri contributiones quas vocant publicas pro cõducendo milite stipendiario, non tantum ex bonis & prædiis, verum ex decimis quoque sibi debitis, contra ius & æquum, non inuiti tamen in gratiam laicorum nobilium præstare solent; ita fit vt inuerso rerum ordine, vt sapienter quidam annotauit, pro secularibus spiritualium ordo vnà cum misellis rusticolis & colonis præclari & pii muneris patriæ defendendæ non postremas partes sustineant. Cur ergo ab illis solis milites necessitati suæ subueniri volunt? Dicent hoc fine amplos Ecclesiasticis reditus à Repub: attributos, vt milites quoque ex iisdem sustentent. At toto cœlo errant: cùm Resp: ipsa ab eiusmodi onere bona Ecclesiasticorum libera esse voluerit. Quod si necessitati illi milites obuiam ire volunt, cur non precario agunt? sed vim adhibent, & licenter quod collibuit auferunt? Sanè Dauid graui penuria laborans.

Fundos sacros, & agricolas violare ac diripere nefas est.

ANDReas Lipski in quæst: publ: qu: 7: in fine.

non extorsit vi panes, quibus egebat ab Achimelech sacerdote, sed precibus
1. Reg: 21. agebat submisse ac reuerenter. *Si quid*, inquit, *habes ad manum, vel quinque panes da mihi, aut quidquid inueneris.* Dicent ad hæc stipendia sibi non numerari ad tempus. Fateor eos culpa non vacare, qui per negligentiam stipendia militibus debita suo tempore non soluunt: nam ea ratione præbent
Cassiod: lib: 9. variar: Epist: 13. eis occasionem in bona aliorum grassandi. Quia, vt ait Athalaricus Rex, *Sub quadam excusatione peccare creditur, cui necessaria non præbentur.* Et verissimum est illud Theodorici Regis,
Cassiod: lib: 4. variar: Epist: 13. *quòd disciplinam non potest seruare ieiunus exercitus. dum quod deest, semper præsumit armatus: & necessitas moderamen non diligit.* At quæ ratio suadet, vt alienam in eo genere culpã Ecclesiastici potissimum luant, qui ad militaria stipendia non postremam partem pecuniæ conferunt? Non ergo iure aliquo milites agunt, dum ex bonis Ecclesiæ quæ placent auferunt; sed veterem insolentiam militarem retinet.
Epist: 14. de qua aliquando questus est Petrus Blesensis: *Hodie*, inquit, *tirones enses suos recipiunt de altari, vt profiteantur se filios Ecclesiæ. Porrò in contrarium res versa est. Nam ex quo hodie militari cingulo decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, & deseuiunt in patrimonium Crucifixi: spoliant & deprædantur subiectos Christi pauperes: & miserabiliter atque immisericorditer affligunt miseros, vt in doloribus alienis illicitos appetitus & extraordinarias impleant voluptates. Qui contra inimicos crucis vires suas exerere debuerant, in potibus & ebrietatibus pugnant: vacant otio: marcent crapula: vitamquè degenerem in immunditiis transigentes nomen & officium militiæ dehonestant. Hi laudant in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias, cùm sint in prætoriis leones, in præliis lepores. Ordo militum nunc est ordinem non tenere. Nam cuius os malorum verborum spurcitia polluitur; qui detestabilius iurat; qui minùs Deum timet; ministros Dei vilificat; qui Ecclesiam non veretur; iste hodie in cœtu militum fortior & nominatior reputatur.* Hæc ille. Quæ vtinam militibus nostris obijci non possint.

c Sapientissime id dictum à Rege, Sanctis, in quorum tutela sunt bona Ecclesiastica, offensis spem victoriæ non restare. Nam quod in sanctos peccatur, in Deum ipsum sanctorum Dominum peccatur. Non multum de rebus Deo sacratis miles Achan in expugnatione & direptione vrbis Iericho abstulerat, nihilominus adeò in vniuersum exercitum Deus commotus
Iosue 7. est, vt dixerit Iosue imperatori; *Peccauit Israël. tuleruntque de anathemate; & furati sunt. nec poterit Israël stare ante hostes suos, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est.* Ita factum. Deprehensum Achan sacrilegũ sic Iosue allocutus est; *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidauitque eum omnis Israël: & cuncta quæ illius erant igne consumpta sunt.*

Et auer-

Et auersus est furor Domini ab eis. Perpendant id milites & caueant, ne ob priuatas eorum rapinas & sacrilegia exercitus, in quo militant, clade aliqua, vindicante illorum facinus Deo afficiatur. Duces quoque militum animaduertant melius esse paucorum crimen non sinere abire inultum, quàm impunitate cœlestem iram in vniuersum exercitum accersere.

d Omina in bellis non superstitiosè captanda sunt; sed si diuinitus aliquando offeruntur, non omnino negligenda.

e Id præmium à Deo Clodouei pietas tulit. Narrat Socrates Asparem copiarum Theodosij iunioris Imperat: ducem, cùm incertus esset quà Rauennam aggredi deberet, Angelum in forma pastoris ducem itineris nactum esse, qui per stagnum Rauennæ adiacens copias eius deduxit, qua via nemo vnquam iter fecerat. Sed Deus qua transiri non poterat transitum Aspari patefecit. Surius quoque meminit ea parte, qua Carolus V. Imperator Albim vado traiecit cum Protestantibus pugnaturus, postera die non nisi natando, & ægrè quidem id fieri potuisse: grauesque scriptores sensisse non sine miraculo & præsenti Numinis ope Cæsarem illud latissimum flumen cum maximis copijs vado transisse. *Lib. 7. hist. cap. 23.* *Surius in com: anni 1547.*

f Visa eiusmodi aliquando victoriam portendunt: aliquando hostes terrore percellunt. Quo tempore Tartari Vratislauiam Silesiæ graui obsidione cinxerant, Ceslaûs D. Dominici vitæ institutum professus, qui tum monasterio sui Ordinis Vratislauiæ præerat, metu hostium in arcem confugerat. Eo igitur iugibus precibus & lachrymis Dei misericordiam & præsentis periculi depulsionem implorante, ecce columna ignea cœlitus apparuit; & statiua Tartarorum omneque territorium terribili fulgore collustrauit. quo miraculo barbari perterrefacti obsidionem soluerunt. *Cromer: lib. 8. hist.*

g Faciliùs auxilium diuinum speratur, cùm duces res Christi & Ecclesiæ ab iniurijs militum tuentur: & tunc Deus pro ducibus pugnat, quando ipsi quoque rerum diuinarum defensionem suscipiunt.

IX Exemplum Belisarii exercitus Iustiniani Imperat. contra Vandalos in Africa ducis.

Ex Procopio libro 1 de bello Vandalico,

Iustinianus

IVstinianus nauim prætoriam in Africam contra Vandalos vela facturam ad litus iuxta ædes imperatorias deduci iussit.[a] Tunc Epiphanius ciuitatis Cōstantinopolitanæ præsul classi de more benedicens ac bene precatus, milites paulò ante baptizatos, nomen profitentes Christianum, sigillatim in nauim introduxit. Sic itaque Belisarius cunctorum ducum exercitusque totius imperator soluit: & classis omnis prætoriam secuta Perinthum applicuit. Inde soluentes Abydum perueniunt: ibiq; dies item quatuor maris tranquillitatem expectandam censentibus casus contigit huiuscemodi. Duo Massagetæ quendam è sociis[b] vt ebrios irridentem interfecerunt. Nam omnium maximè vino dediti Massagetæ sunt. Belisarius igitur ambos hos in Abydi quodam promontorio[c] palo infixit; quod factum quum alii, tum ex eorum genere viri maximè ęgrè ferrent, Belisario dixerunt,[d] se nō ex lege, aut pœna aliqua coactos, quum Romanis subditi non sint, sed sponte in exercitu esse. Tali igitur supplicio non esse apud eos consuetudinem delinquētes

Episcopus classi benedicit.

Militum ebriorum facinus.

Pœna.

Cæteri turbantur.

plectere.

pleƈtere. Cum his itaq; plures conſenſere,[e] qui maximè propter ſcelera impunita eſſe delinquentium peccata cupiebant. Beliſarius igitur vniuerſum congregans exercitum ita adloquitur: Si nunc apud viros belli expertes, ac nunc primùm militantes verba haberem, longa mihi eſſet opus oratione ad enarrandum[f] quantā vim habeat ad victoriam obſeruatio iuſtitiæ. Huius diſciplinæ ſummam, tum pugnę finem atq; fortunam, imperiti in dextris conſiſtere tantùm exiſtimant. Vos autem, qui ſæpè inimicos viciſtis, neq; corporibus, neq; animis vobis inferiores; ſæpe etiam victi fuiſtis: non ignorare puto, quòd homines quidem vtrinq; ex acie inter ſe dimicant; finem verò tantum quē Deus voluerit conſequuntur. Nam & corporis proſperitatem,[g] & armorum diligētiam, cæteramq́; belli pręparationem, longè inferiora iuſtitia, & in Deum obſeruantia, eſſe non dubiū: quam ſi quis ſectatus fuerit, magis ei, quàm è ſupradictis felicitas obuenerit. Prima igitur iuſtitię cura iniuſtè interfectos vlciſci. Si enim iuſti & iniuſti iudiciū in eos exerceri, qui pro-

Beliſarij ad milites turbatos oratio.

NOTA.

NOTA.

„ pē nos ſunt, prætereatur; nullus iam met⁹ erit:
„ vilis admodùm fuerit homini animæ ratio. Si
NOTA. „ quis enim Barbarus proximum per ebrietatem
„ occiderit, ac venia propterea poſtulata ſe cri-
„ mine ſolutum dixerit: peccata licentia longè
Militi non eſt fas eſſe ebrium. „ fuerint peiora. Neque enim vlla ratione fas
„ ebriū eſſe; multò minus in exercitu militi pro-
„ ximos ob id interficiendo. Ipſa enim per ſe te-
„ mulentia, vel cæde non conſequente, pænâ eſt
„ digna: quantò magis ſi ea conſequatur: multo
„ que item magis in proximum, quàm alienum.
„ Exemplum itaque facti quale ſit, ac quàm de-
„ teſtabile ipſi conſpicitis. vos ergo manibus tē-
„ perare ab iniuriaque abſtinere opus, nec puta-
„ tote me conniuentem iniuſtum quocunq; mo-
„ do toleraturum; neque illum quamuis hoſtib⁹
„ formidoloſum ac terribilem, qui alioquin ma-
„ nibus in hoſtes puris non feratur, vllo modo
„ commilitonem putaturum; quum fruſtra ſit
NOTA. „ fortitudo, vbi iuſtitia defuerit. Vbi Beliſarius
Effectus orationis ducis. „ finem dicendi fecit exercitus [b] omnis & verba
„ imperatoris non contemnenda conſiderans, &
„ illorum ſupplicia ſpectans timore corripitur:
iamque

iamq́ue ex illo frugi eſſe & ex æquo inter ſe viuere apud talem ducem non iniuſta paſſurum cogitabant. &c.

Vbi verò in Africam claſsis appulit; die ſequente, poſtquam militum quidam in agros diſcurrentes fructus attigerunt, eos ignominia notatos conuocans Beliſarius ſic eſt allocutus; „Vim adferri, & ex alienis paſci, turpe ſemper ac probroſum videtur. quòd iniuſtum in ipſo feratur: nunc autem nobis etiam in eo periculum conſiderandum; vt, ſi fas eſt dicere, iuſti ratio ſit periculo poſthabenda. Ego enim hoc tantum confiſus vos in hanc terram deſcendere iuſsi: vt Afri à Romanis procul exiſtentes ſint Vandalis pro nobis infidi ac moleſti. quãobrem nil neceſſariorum propterea nos deſerat: neque excurſionibus ab inimicis lędamur. Verùm nunc veſtra immodeſtia omnia nobis hæc contraria reddidit. [k] Afros enim quodammodo Vandalis conciliaſtis: ac in noſipſos iam ob veſtrum hoc factum ad inimicitiam deduxiſtis. Natura enim ineſt adfectis iniuria erga afficientes continuò maleuolentia. Veſtram

Iterum puniũtur milites rapaces.

Beliſarii alia oratio.

NOTA.

" igitur securitatem ac omnium copiam paruo
" admodum argēto posthabetis; quum vobis ex
" voluptarijs dominis,quæ sint opus,liceat eme-
" re: erga quos minimè iniustos esse decet, vt no-
" bis illorum amicitia sit vsui. [l] Nunc verò effe-
" cistis vt contra Afros æquè atq; Vandalos no-
" bis etiam sit bellum; imó contra Deum ipsum
" quem nullus iniustus sentiet adiutorem. Parci-
" te igitur posthac aliena inuadere, lucrumq́; se-
" qui periculis plenum: hoc enim illud est tem-
" pus, quo maximè modestia nos saluos faciet:
" iniuria interitu plectet. Hæc vobis curantibus
" Deus erit inprimis placatus: deinde gens Afro-
" rum beneuola, postremò de Vandalis victoria
facilis. Belisarius his gestis vbi exercitum or-
dine disposuit, Carthaginem versus iter arripu-
it: milites vt essent abstinentes, sibiq́; ac mani-
bus imperarent, admonuit: neq, aliquid ab re
aut contra officium facerent. Ipse verò man-
suetudinem atq; humanitatem præ se ferendo
Afros sibi conciliauit. [m] Ex quo reliquo tempo-
re sicut in propria regione magna cum mode-
stia iter fecit, colonis circa nec latitantibus, nec

Disciplinæ militaris fructus.

quicquam

quicquam expauefcentibus; quin potiùs quæ oportet omnia vendentibus fimul & exercitui miniftrantibus.[n] Carthagine capta fic modeftos omnes dux hic fuos reddidit; vt neq; contumeliam aliquam, neq; minas vllas, aut vnius officinæ impedimentum, vti mos eft eorum, interuenire videremus: fed in capta ac ftatum mutante ciuitate nulli contigit tabernas claudere, aut quicquã venalium fponte negare. &c. Humilem præterea fe Belifarius benignumq; adeò atq; aditu obuiis quibufq; perfacilem exhibebat; vt infimæ fortis viro perfimilis videretur. Milites item, & rufticani, & cuiufq; generis homines certatim hunc beneuolẽtia profequebantur.[o] Nam in fuos, præcipuè milites, munificẽtia cæteros anteibat: & qui bello rem fortè malè gefsiffent, pro acceptis vulneribus pecuniam non paruam donando indignationem ac fimul mœftitiam fæpius permulcebat: ei verò, qui in acie egregiè fe habuiffet, varia dono dabat in præmium ornamenta. Et qui præterea aut arcus, aut rei alterius bellicæ iacturam prætiando feciffet, confeftim alia &

Exemplar modeftiæ militum.

Virtutes imperatoriæ Belifarii.

Munificentia in milites.

 potiora

Indulgētia in agricolas.

potiora per Beliſarium parabantur. p Erga agricultores agreſteſque homines tanta hic indulgentia ac prouidentia vtebatur; vt Beliſario ductante exercitum nullam hi vim paterẽtur: ſed ex inſperatò potiùs opulenti ac diuites reddebantur: vt qui crebrò ad ſe aduentantib⁹ copijs maiori omnia in victum pretio venditarent. Segetes inſuper dum in agris matureſcerent diligentiùs tuebatur; ne fortè equorum greges has deuaſtarent: frugeſque cæteras inuitis dominis ſuos attingere prohibeat.

Continentia & pudor.

q Erat itẽ vir continentior; vt qui præter denuptam ſibi vxorem nouerit nullã. Nam ex Vandalis Gottiſque tanta multitudine & forma egregia fœminas quum bello cepiſſet, earum nullam vel in ſuũ conſpectum venire, vel alloqui quoquã pacto permiſit. Ad extera eius huiuſmodi ornamenta perſpicax quidem & viuidum accedebat ingenium;

Induſtria in agendo.

quippe qui vel dubijs ipſis in rebus, ad ea quæ potiora forent excogitanda, mirum de ſe in modum & opportunè valeret:

Animi magnitudo.

ipſoq; belli diſcrimine animi pręſtaret magnitudine; è tutoque & conſideratiùs ad res geren-

das

das audentior esset. Festinare præterea cunctarique in ipsis aduersus hostem conatibus vt res deposcebat: in rebus trepidis bene sperare, nec terrore aliquo capi, non prosperis insolens esse, nec vitam in delitijs agere: nec quisquam vnquam hominum fuit, qui temulẽtum hunc viderit. Et quàm quidem diu Romanorũ exercitui tam in Africa, quàm in Italia præfuit, perpetuò victor erat; & obuia quæuis occupabat.

Celeritas. *Sobrietas.* *Felicitas.*

a Sacerdotalis bene dictio & precatio exercitui impertienda.

b En quid mali pariat ebrietas, malum cùm ab omni hominum cœtu, tùm à castris potissimùm remouendum; in quibus assidua opus est vigilantia, quam ebrietas alto somno consopire solet. Diuinus ille Plato Carthaginensium legem probabat, qua vinum gustari in castris vetabatur. *Quàm turpe spectaculum militem videre ebrium? quàm tristis*, ait D. Ambrosius, *Christianorum oculis, & miserabilis species? Cernas iuuenes terribiles visu hostibus de conuiuio portari foras, & inde ad conuiuium reportari. Ibi vnusquisque pugnas enarrat suas: ibi fortia facta prædicat: narrat trophæa. Viri præliatores stare non possunt: egressu vacillant. Rident seruuli dominorum opprobria: manibus suis portant militem bellatorem: imponunt equo. Alij referuntur in scutis. fit pompa ludibrij. Quos manè insignes armis spectaueras, vultu minaces; eosdem vesperi cernas, etiá à paruulis rideri, sine ferro vulneratos, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos, sine senectute tremulos, in ipso iuuentutis flore arentes.* Hæc diuinè Ambros. Præclarè etiam Seneca: *Eruit omne vitium ebrietas: & incendit: & detegit: obstantem malis conatibus verecundiam remouet. Crescit insolenti superbia, crudelitas sæuo, malignitas liuido. Cogita quas ediderit publica ebrietas clades. Hæc acerrimas gentes bellicosasq; hostibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit: hæc inuictas acies mero domuit.* Ita ille. Notum est quomodo Holofernes non seipsum modo, sed & tantas equitum peditumque copias vino perdidit. Ipsi nostra memoria non dissimilia audiuimus. Superioribus annis captos è milite Christiano non paucos dicitur Imperatori

2. de legib. *Li: de Elias cap: 13.* *Lib: 12. Epist: 84.*

suo

ſuo Sinanus Baſſa per ludibrium, & ebrietatis exprobrationem, Conſtantinopoli cum poculis, aleis, & chartis obtuliſſe.

Lib: 2. c. 7. *c* Præclarum exemplum diſciplinæ militaris, quam Val: Maximus *præcipuum decus, & ſtabilimentum Romani Imperii* vocare non dubitauit: *in eiuſq; ſinu & tutela ſerenum tranquillumq; beatæ pacis ſtatũ acquieſcere dixit.* Idem cenſuit *aſpero & abſciſo caſtigationis genere militarem diſciplinã egere; quia vires armis conſtant; quæ vbi à recto tenore deſciuerunt, oppreſſura ſunt niſi opprimantur.* Clearchus quoque Lacedæmoniorum dux hoc egregio dicto diſciplinam militiæ continebat, identidem exercitus ſui auribus inculcando; *A militibus Imperatorẽ potiùs, quàm hoſtem metui debere.* Valer: ibid.

d Milites voluntarij plerumq; diſſolutiores & licentioſiores eſſe ſolent.

e Milites ſceleribus obnoxij aliorum delinquentium peccata cupiunt eſſe impunita. Nam probi & innocentes ſcelera vindicari libenter ferunt.

f Magnam habet vim ad victoriam obſeruatio iuſtitiæ.

g Nota armorum diligentiam inferiorem eſſe iuſtitia, & in Deum obſeruantia.

h Fructus militaris diſciplinæ, metus Imperatoris, & vita frugi ac ab iniuria ceſſatio. *Indulgentia quidem*, ait Cæſar lib: 3. belli ciuilis, *& largitio ſpecioſum reddunt præſentem exercitus amorem; paulatim tamen & occultè militarem diſciplinam ſeueritatemq; minuunt: & delicta militum nulla venia proſequi vſu ſalubre, & miſericordia melius ſemper apparuit* auctore Tacito lib: 13. annal.

i Præclara ſententia egregij ducis; *Vim adferri & ex alienis paſci turpe eſt & probroſum.* Dauid egregius bellator cum ſua cohorte militum 600. non attigit quicquam ex bonis Nabal; quin potiùs ſic eum per ſuos pacificè ſa-

1. Reg: 25. lutauit; *Sit fratribus meis & tibi pax; & domui tuæ pax: & omnibus quæcunque habes ſit pax. Nunquam paſtoribus tuis moleſti fuimus: nec aliquando defuit qui equam eis de grege omni tempore quo fuerunt nobiſcum. &c.*

k Solent prouinciales, in quorum terra bellum geritur, inimicum animum induere erga milites, à quibus per ſummam iniuriam vexantur & ſpoliantur. E contrario verò modeſtis & manum ab iniuria cohibentibus militibus non fauent ſolùm contra hoſtes; ſed & commeatum neceſſarium facili pretio, imò gratis interdum ſubminiſtrant.

l Qui prouinciales opprimunt rapinis, & violentis exactionibus; & hoſtes eos experiuntur: & contra Deum pugnant.

l Fructus pacati & modeſti exercitus erga prouinciales.

n Rarum diſciplinæ militaris exemplum, victorum tanta modeſtia. Si quidem Seneca in Troad: ait;

Regi

Regi frænis nequit
Et ira, & ardens hostis, & victoria.
Gladiusq; felix. cuius infecti semel
Vecors libido est.

at Belisarius modestè secundam fortunam victor tulit. quæ in malo ingenio auaritiam, cæteraque occulta mala patefacit.

o En quibus artibus militum amor à duce concilietur.

p Notent hoc nostri milites. quorum est effrenata erga agricolas insolétia.

q Imitanda cunctis ducibus pudicitia.

X Exemplum Narsetis copiarum Iustiniani Imperat. contra Totilam Gottorum Regem ducis.

Ex Euagrio lib: 4. hist: c. 23. & Procopio lib: 3. de bello Gottico.

COmmemoratum est ab his, qui vnà cum Narsete fuerunt; dum precibus & alijs pietatis officijs Diuinum Numen placaret: debitumque ei cultum tribueret: [a] Sanctam Virginem Deiparam ei apparuisse; planeque tempus præscripsisse, quo bellum cum hostibus gereret: atque vt non priùs ad prælium committendum se accingeret, quàm cælitus signũ acciperet. Factumque est Dei opera (quod & ipse Narses ingenuè professus est) vt bellicosissim⁹ vir Totilas vnà cum potentissimo exercitu in- *Narseti pugnaturo cũ Gottis B. Virgo apparet.* *Eius ope debellatũ est.*

numeris clarus victorijs, ac viribus pollens, à semiuiro Narsete. (eunuchus enim erat) cuncta nitente MARIÆ Virginis ope vinceretur. Narses itaque, ait Procop. ex re bene gesta lætior factus, [b] id omne Deo acceptum (vt erat in vero) indesinenter retulit. Conuersus deinde ad ea quæ proxima erant administrandum, [c] Longobardorum inprimis nefanda facinora se in expeditionem sequentium vindicare primùm & expiare curauit. [d] Illi namque ad cæteram vitæ factorumque impietatem & scelus, vel ædificia ipsa in quæ fortè diuerterant, iniußi cremabant; stuprumque fœminis & vim inferebant sacras in ædes refugientibus. Vnde magna pecunia hos primùm donatos ad proprios penates redire iußit, Valeriano, Damianoq; cum suis copijs ducib⁹ traditis, qui eos tam diu deducerent, quoad in Romanorum confinia peruenissent, & illis iniunctum, vt sine aliorum iniuria pertransirent.

Narses gratus in Deũ.

Dimittit ab exercitu milites sacrilegos & facinorosos.

a In bellis potissimum Beatissimæ Virginis Deiparæ Mariæ auxilium implorandum, exemplo Narsetis non magis religioso quàm felici.

b Post victoriam gratiæ Deo indesinenter agendæ.

c Non sunt in castris tolerandi milites impij & sacrilegi; sed exauthorandi sunt & dimittendi; tametsi eorum opera duci fuerit vtilis. Idem Narses pu-

ses pugnaturus cum Bucellino, siue Bultino duce Francorum, inuentum vnum Herulorum virum nobilem, qui seruum occidisset, pari pœna plecti statim iussit. non magni faciens, etsi in illa temporis & rerum necessitate ingens Herulorum multitudo sese ab eius exercitu separaturam mortem gentilis sui ægre ferens minitaretur. Refert id Agathius lib: 2. hist.

d Non debet pati bonus Imperator, vt a militibus ædificia, ad quæ diuertunt passim, crementur.

XI Exemplum Belisarii cum Persis præliaturi.

Ex Procopio lib: 1. de bello Persico.

BElisarius antequam cum Mirrhane Persici exercitus duce confligeret, eiusmodi ad eum literas dedit. [a] Primùm quidem bonum esse pacem apud omnes homines in cōfesso est, quibus paullulum rationis existit. si quis autē ipsam turbare sit inuentus, malorum causa sibi ac proximis fuerit. Dux optimus ille profectò putandus, qui ex bello pacē disponere sit aptꝰ: tu verò rebus in quiete constitutis, ac vtroque rege concordiam exoptante, bellum absq; vlla causa omnino inferre decreuisti. Aderunt & legati nostri propediem, qui si qua inter nos dissident, facilè conciliabunt. nisi fortè ex hac interim tua expeditione graue aliquid oriatur,

Belisarius Persis pacē primùm offert.

"quod ſpem pacis nobis eripiat. Sed age iſtum
„ celeriter domum reducito exercitum; ne ma-
„ ximis impedimẽto ſis bonis; neu tuis vt par eſt
„ grauiũ euentorum cauſa feraris. Has vbi Mir-
„ rhanes literas legit ſic reſpondit; Tuis literis
„ permotus profectò obtemperaſſem niſi Roma-
norũ epiſtola fuiſſet: [b] quibus promittere prõ-
ptum eſt; promiſsis autem quanquam iuramẽ-
„ to firmatis minimè ſtare. Nos igitur veſtræ
„ occurrentes fallaciæ ad arma cogimur venire.
„ Vos ergo chari Romani nil in futurum aliud
„ excogitate, quàm vobis perpetuò cum Perſis
„ bellandum. In hoc enim nos & conſeneſcere
„ & mori ſimul oportet; donec re, non tantùm
„ verbis in nos æqui fueritis. Rurſus autem hi
„ qui cum Beliſario erant, ſic reſcripsêre; Non
„ in omnes, optime Mirrhanes, iactãtia vti opor-
„ tet: neq; proximos probris nullo modo ad rem
„ pertinẽtibus ſemper inceſſere; præſertim cùm
„ Rufinum de concordia legatum iam iam adfu-
„ turum aſſeueremus: tuque breui videbis. Vo-
„ bis nihilominus, ſi hoſtilia tandem cupitis, oc-
„ curremus [c] autore Deo, quem nobis in periculo

Superbum reſponſum Perſæ.

propitium

propitium futurum, ac Romanorum quieti fa- "
uentem; iactantiæ deniq; Persarum aduersum "
speramus. Et quando nobis ad pacem prouo- "
cantibus restitistis, acie decernere parati sum⁹, "
iusiurandum ac conscripta fœdera violata in "
summis signis ad prælium suspendentes. Mir- "
rhanes verò rursus sic respondit. Neq; nos abs- "
que diis[e] nostris in bellum descendimus. quin "
ducibus ipsis comitati cõtra vos venimus, quos "
spero cras in vrbem Daram Persas introductu- *Confidentia barbara.*
ros, vbi & balneum, &[f] prandium fac mihi in-
tra mœnia pares. His igitur lectis, qui cum Be-
lisario erant, ad pugnam se accingebant. Ini- *A Deo punita*
toque certamine Dei virtus hostes opprimens
manifestò est cognita; dum vi ventorum Per-
sarum spicula cæteraque missilia in Romanos
intorta præpedirentur, & efficacia penit⁹ red-
derentur; contra verò validiore impetu Roma-
norum iacula vibrarentur; sicque victi, demũ
& fugati sunt Persæ, Romanis incruenta vi-
ctoria potitis.

[a] Offerenda primùm est hostibus pax. quod fecit Belisarius ex diuinæ vtique scripturæ præscriptio dicentis; *Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem. &c.* *Deut: 20.*

b Barbaricus mos ſuperbe & contumelioſe cum hoſtibus agere.

c In hoc ſemper laborandum eſt Chriſtianis ducibus, vt ſpem omnem in Deo reponant; eam denique veluti primarium vexillum ob oculos hoſtium ponant.

d Bona ſpe dimicatur contra fœderum violatores.

e Ecce & barbari dijs ſuis auxiliatoribus inuocatis pugnare ſoliti.

f Superbum imperium, quod diuina virtus irritum tandem fecit.

XII Exemplnm Catacali Præfecti Michaëlis Imperatoris Conſtantinopolitani.

Ex Ioanne Curopalate.

Stratagema Catacali.

SAraceni obſidebant maximo exercitu Meſſanam; quam cum præſidio Catacalus cognomine Combuſtus tenebant. Cumque portas clauſiſſet triduo; neque quemquam vallum tranſilire permitteret: ſed timiditatem præſeferret; negligentes Saraceni ſine metu diſsipabantur:[a] & dies noctesque compotationibus, & tibijs ac cymbalis indulgebant, quaſi videlicet vrbs poſtridie capienda eſſet: quarta autem die qua conſueuimus mediam Pentecoſten celebrare, Combuſtus animaduerſa negligentia & ſocordia Saracenorum, & vt illi ſine vlla

cura

cura ac ſolicitudine degunt nihil curātes eorum quæ intra muros fierent: ſuo exercitu confirmato, quum iuſsiſſet ſacrificium incruentū perfici, [b] ſimulque cùm omnibus particeps fuiſſet diuini Sacramenti circiter prandij horam: apertis vrbis portis maximo impetu in aduerſarios erumpit ebrios & crapula onuſtos: ipſe primùm cum ſuis ad tabernaculum Apolaphar Inſulæ Principis adequitans: & ille quidē ſtatim interficitur mollis & facilis captu præ ebrietate: eiuſque tabernaculum perrumpitur. Cadebant etiam alij Saraceni aceruatim præ ebrietate labentes, & inopinato impetu nihil prorſus virtutis memores. Fit igitur ſtrages totius exercitus, quum Saraceni ſe mutuò obterētes occiderēt. ita vt cadaueribus complerentur planities, & proximæ conualles, & flumina. captaq́; ſunt omnia caſtra, auro & argento & margaritis pretioſiſq́; lapillis referta: quos, vt fertur, medimnis milites diuiſere.

Sacramentum corporis & ſanguinis Domini exercitus accipit.

Ebrios Saracenos profligat.

a Perniciosa res caſtris ebrietas, & voluptas. Præclarè Tacitus ait *degenerare à robore & virtute militem aſſuetudine voluptatum: & ſi quid ardoris ac ferociæ habuit, popinis & comeſſationibus deteri.* Itaque P. Cornelius Scipio Africanus eodem temporis momento, quo caſtra intrauit edixit; vt omnia ex his quæ voluptatis cauſa comparata eſſent, auferrentur & ſummouerentur.

Lib: 2. hiſt.

uerentur. Metellus quoque Consul in Africa Iugurthino bello, cum nimia indulgentia corruptum exercitum accepisset, omnibus neruis restituere militarem continentiam nisus est. *Quid ergo:* ait Valer: Max: *restituta continentia profecit? Crebras victorias, & multa trophæa peperit.* L. 2. c. 7.

b Salutaris mos pugnaturos milites Sacrosancto Christi corporis viatico communire.

XIII Exemplum S. Ludouici Galliarum Regis Damiatam ex manu Saracenorum recuperantis.

Ex F. Henrico Sedulio Ord: FF. Minorum in eius vita.

CVm Rex Ludouic⁹ videret in portu Damiatæ magna esse Turcarum pręsidia: communicato cum proceribus consilio iussit vt die altero summo mane exirent in terram; eamque eo loco occuparent, vbi inter ipsos & vrbem fluuius interesset. Eo ergo die omnibus in triremes & alias naues sese recipiētibus, Rex cum Legato Pontificis sacrosanctā gestans crucem nudam & apertam in cymba vehebatur, iuxta eum præcedente in alia cymbâ B. Dionysij vexillo, fratribus quoque illius, & alijs nobilibus, & sagittarijs comitantibus: atque ita in terram egreßi sunt multis in hostes con-

Rex Ludouicus Crucē præfert exercitui.

Legatus Pōtificis in bello.

tortis

tortis telis,qui eos arcere magna vi nitebantur. In ea concertatione penè nulli ex Chriſtianis vulnerati ſunt; permulti autem Saraceni; & eorum equi interfecti; & in ijs tres proceres. Eodem die profligatis Saracenorum trieribus Chriſtianorum triremes fluuii oſtia occuparunt. Hiſce tam proſperis initiis feliciores etiã ſucceſſus Dominus adiecit. Perterritis enim, qui intra vrbem erant, Saracenis virtute diuinâ omnes in fugam verſi ex vrbe exceſſerunt inſtructis priùs ignibus, quibus vrbs conflagraret. Multi itaque ex caſtris Regis per pontem naualem, quem ſatis integrum reliquerant Saraceni, in oppidum ingrediuntur. Rex quoq; certior factus nonnullos è ſuis intromittit, fixis tentoriis ſuis ad pontem. vt, ſi ita res poſceret, ſuis ſuppetias ferret. Multus ibi commeatus repertus eſt; ita vt multi affirmarent eam ciuitatem vi capi minimè potuiſſe. Proſpexerant enim ſibi in longum tempus Saraceni; ita vt diuino potiùs miraculo ea victoria tribuenda ſit. Deinde verò eâ ciuitate à mortuorum cadaueribus repurgatâ, igneque extincto, Le-

Saracenos vincit Crucis virtute.

gatus Pontificis cum Patriarcha Ierosolymitano, cum Archiepiscopis, Episcopis, & magnâ parte eorum, qui conuenerant; itemque Ludouicus Rex cum per multis aliis, [b] nudis pedibus, præsente Rege Cypri cum non paucis nobilibus in vrbem ingressi sunt. cumq; legatus ædē quandam profanatam reconciliasset, & gratias egissent Deo, in honorem sanctissimæ Matris Dei ab eodē Legato sacrificium oblatū est.

Gratias humiles agit Deo.

a Non puduit Sanctissimum hunc Regem vexilliferi munere in exercitu fungi, & Crucis Dominicæ salutare signum cunctis præferre. Aderat porrò tūc Legatus Sūmi Pontificis. Quid ni enim in exercitu Catholico Pastoris omniū Christianorum legatus adfuisset. Moyses cum Madianitis bellum gesturus duodecim millia expediuit militum cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, vt sacra tradit historia. vasa quoque sancta tradidit ei. Quæ vasa erāt Arca cum tabulis legis, Cherubim, & propitiatorio. Hæc enim secum deferebant Iudæi euntes ad bellum; vt scilicet ita quasi Deū propitiatorio insidentem secum deueherent. qui castra hostium sua præsentia dissiparet. Phinees quoq; sacerdos ad hoc bellum est profectus vt sacris præesset.

Num: 31.

b Humilis gratiarum actio obtenta victoria.

XIV Exemplum Ioannis Coruini & B. Ioannis Capistrani, contra Turcas in Vngaria pugnantium.

Ex Antonio Bonfinio de rebus Vngar. Decad. 3. lib: 8.

Capta

CApta Constantinopoli à Turcis Ioannes Coruinus, qui ad protegendas inferioris Vngariæ oras regiâ autoritate constitutus erat, neq; animo excidit; neq; consilio defuit. Inprimis Capistranum ad hanc obsidionem sibi collegam asciscit.[a] vt alter humanis, diuinis alter viribus niteretur: consulit quid potissimùm videatur agendum.[b] Ille bono animo esse iubet, quando non mediocrem cruce signatorum e-exercitũ è Germania se conflasse fatetur; quamuis hæc gens Vngarico ab antiquo sit infesta bello: in commnni tamen causa & necessitate minimè defuturam arbitratur. quin & totam se Vngariam post Constantinopolitanam captiuitatem in Turcas concitasse referebat. Interim Coruinum cætera, quæ ex vsu belli sunt, curare iubet: hæc se in tempore auxilia daturũ pollicetur: demum ad hãc capessendæ immortalitatis occasionem incendit. Is veteranos omnes, ac alios spectatę virtutis milites cogit; classem mirâ alacritate in Danubium parat: cùm Turcam quoq; multa in Ponto nauigia parasse didicerat. Calixtus Pontifex imminentis peri-

B. Capistranus socius in bello Coruini.

Adducit milites cruce signatos.

 culi

culi non ignarus, Ioannem S. Angeli Cardinalem, virum ſapientia & magnanimitate præſtantem in Germaniam Pannoniamq́; miſerat: vt ſeptentrionalis plagæ gentes, quantum in ſe foret, in dirum hoſtem concitaret. Interim rumor affertur Mahumetem centum & quinquaginta millia hominum ad obſidendam Albam ducere: in ſummâ rerum omniũ trepidatione verſatur Vngaria. Coruin⁹ & Capiſtran⁹, cum forti animo ſuo vterq; exercitu ad protegendã Albam properarunt: claſſem cõmeatibus militibusq́; oneratam deducunt. Cardinalis Budæ ſubſtitit, vt apud Regem cætera curaret. Itaq; Capiſtranus cum ſuis bellatoribus, vt alter Ioſue procedebat cum baculo, in cuius ſummitate erat ſignum Tau, quo eos animoſiores audacioresq́; reddebat. de quo illud memorabile fertur; Cùm celebraret Miſſam ante Belgradum, ſagitta cœlo delapſa in medio aræ ante oculos ſerui Altiſsimi apparuit his aureis verbis inſignita; ESTO CONSTANS IOANNES. Ita ille animatus ſuos ad confligendum cum hoſte adhortabatur ſupplex Seruatoris crucem amplexus, diuinãq́;

B. Capiſtranus præcedit exercitũ cum cruce.

Promittitur ei cœlitus victoria.

Hortatur milites ad pugnam.

opem

opem præſentē & futuram promittens. Illi appetere magis quàm formidare glorioſam mortem viſi ad pugnam promptiſsimi Turcis occurrunt. Vnum eis oberat quòd animo potiùs quàm corpore armati eſſent, gladiis tantum & lanceis inſtructi, pauci ſe galea & thorace protexerant. Victoriam tamen memorabilem de hoſte inſtructiſsimo & potentiſsimo reportarunt, diuina magis quàm humana ope freti. Ferunt Mahumetem Turcarum Imperat. nunquā poſtea cladis in eo bello acceptæ meminiſſe, quin mentum barbamq́; demulcens quaſſansq́; caput ei diei maledixerit, quà pugnam ad Albam conſeruit. *Victoriam obtinet.*

a Præclara ſocietatis in bello virium humanarum diuinarumque.

b Ecce infirma mundi eligit Deus, Capiſtranum hominem religioſum à ſeculi curis alienum militiæ Chriſtianæ ductorem eſſe vult, cum indubia ſpe victoriæ. Noua bella eligit Dominus. Feliciſſimè ſuccedunt pugnæ, quæ non ſolis humanis conſiliis geruntur.

Memorat porrò Bonfinius ibidem in hoc prælio trecentos è Polonis fuiſſe, qui religionis ardentiſſimæ gratia ſumpta ſanctæ Crucis teſſera ſtipendia faciebant.

Idem Bonfinius hæc addit: *Cùm duo duces, alter oratione, manu alter, ſtrenuè dimicarint; iccirco factum vt in eo prælio diuinæ potiùs quàm humanæ vires, quod Turca non inficiabantur, enituerint.*

XV Exemplum Chriſtianorũ Antiochiæ à Turcis & Saracenis obſeſsorum.

Ex Ioanne Nauclero volumine 2. Generatione 37.

DVm Chriſtiani Antiochiæ grauiſsima Turcarum & Saracenorum premerentur obſidione: fameq́; & rerum omnium penuria laborarent; reſpexit tandem eos Dominus; conſolationemque miſit. Apparuit enim cuidam clerico B. Andreas, cui plurimùm erat deuotus, commonens quatenus Principibus nuntiaret, vt lanceam, qua Domini noſtri latus erat perforatum, in Eccleſia B. Petri repoſitam perquirerent, eiq́; locum certis oſtendebat indiciis. Quod cùm feciſſent, & ipſi ad eius ſuggeſtionem in eo loco effoſſa aliquantulùm terra lanceam, ſicut clerico illi oſtenſum fuerat, inuenerunt. Hoc audiens populus, tanquam de immiſſa ei cœlitus conſolatione, cœperunt à ſuis anxietatibus releuari, iterumq́; voto ſe & iuramentis obligârunt, quòd ab inuicem non diſcederent,

B. Andreas oſtendit deffoſſam humi lanceam Chriſti.

Chriſtiani bonam ſpem concipiunt.

diſcederent quouſq; authore Domino vrbē ſuę
reſtituerēt libertati. Igitur [a] præmiſſo ieiunio *Ieiunant.*
& indicta die pugnæ, cùm 26 diebꝰ afflictione
mirabili plurimùm laboraſſent; præcedēti no-
cte dū arma equoſq́; pręparant, ſomno locus nō
datur. Manè facto, circa crepuſculum [b] ſacerdo-
tes & miniſtri Domini per Eccleſias diuina *Confitentur & communicant.*
celebrantes, populum antequam ad prælium
egrederetur, de peccatis ſuis priùs humiliter
confeſſum, corpore & ſanguine Domini mu-
nierunt: [c] quo facto tanta eis diuinitꝰ infuſa eſt *Diuinitus eis vires accedunt.*
gratia; vt qui pridie lumina vix attollere pote-
rant nunc prodeuntes victoriam ſibi promitte-
re auſi ſint. Epiſcopi verò & ſacerdotes ſacris *Benedicuntur ab Epiſcopis.*
induti populum benedicebant. Itaque ſummo
diluculo jv. Cal: Iulij duodecim acies inſtruxe-
runt. quarum vltimam, quæ erat cæteris am-
plior, tenebat illuſtris Princeps Bóemundus.
Accidit autem, vt egreſsis ros quidam ſuauiſsi- *Rore delapſo recreantur.*
mus, modicus tamen, ſed gratiſsimus deſcende-
rit, quaſi in eo benedictionem & gratiam ſuam
videretur infudiſſe Dominus. Mirabile dictu,
quicunq; eo imbre conſperſus eſt, tantum con-

cepit animum; vt nihil laboris, nihil molestiæ in tota illa expeditione videretur. Idem in equis fertur apparuisse. Interim hostes accepto nostrorum ab vrbe egressu acies instruũt. ventum est ad pugnam: primæ tres acies nostrorũ viriliter in hostes irruunt: sequentes aliæ non minùs præcedente lancea Domini cum sacerdotibus. Pugnatum est illo die acerrimè. tandem hostes dissolutis cuneis vertebantur in fugam: & cædem in hostibus factam omnes scriptores in centum millia referunt. Consummato itaq; prælio nostri ad castra hostium redeũt: vbi tantam reperiunt rerum opulentiam, tantas Orientalium diuitiarum copias; vt iam auri, argenti, gemmarum, neq; numerus esset, neq; mensura; equorum etiam & armentorum. annonę quoque & victualium reperta est tanta abundantia; vt iam nescirent quid eligerent. Hac potiti sunt victoria Anno Domini 1098. 82. Iunij.

Sacerdotes cum lancea Domini præcedunt exercitum.

Victoria cõsecuta memorabilis.

1. Mach: 3. a Ieiunio quoque fuit armatus exercitus Iudæ Machabæi. Dixerat enim ei miles aduentantibus Syris; *Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam & tam fortem, & nos fatigati sumus ieiunio hodie? Quibus Iudas ait; Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.*

Eodem

Eodem Duce cum Antiocho pugnaturo vniuersus exercitus cum fletu & ie- iunijs per triduum continuum diuinam misericordiam implorauit. *2. Mach: 13.*

b Confessionis & Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramenta vsurpanda ante conflictum.

c Robur diuinitus additum militibus Sacrosancta Eucharistia refectis. *Parasti*, dicebat Dauid, *in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me; & misericordia tua subsequetur me.* *Psal: 22.*

d Præsagium futuræ victoriæ, & signum præsentis auxilij diuini ros de cœlo militibus superfusus.

e Ieiuni & debiles saturorum & fortium castris potiti sunt.

XVI Exemplum Ladislai Iagellonis Poloniæ Regis cum Cruci- geris pugnaturi.

Ex Cromero lib: 6. & Herburto lib: 13. cap: 5.

PRoficiscens Ladisláus Rex ad bellũ Prussicum, quacunque iter faciebat, [a] profusa in egenos largitione vtebatur. Quum autem Słupia oppidum sub Lyssecensi monasterio situm peruenisset: biduo ibi commoratus, diluculo [b] ad ædem sacram in excelso monte positã, & ligno Crucis Christi celebrem, pedes ascendebat: quum totum diem precationi flexis genibus in templo vacasset. Quum primùm verò cum exercitu hostium fines attigit; expandit acies in longè patenti planicie: acceptumque manu

Iagello præparat se ad bellum eleemosynis.

Pedibus ascendit ædẽ sacram sanctæ Crucis.

Genu flexus ibi 101am diem orat.

Inuitus ad certamen cum Chriſtianis deſcendit.

manu ſua vexillum maximum ſuſpirans & lachrymabundus ita fatur; ‘ Deus optime Maxime, non modò factorum aut dictorum, ſed & cogitationum omnium cognitor: tu mihi teſtis es locupletiſsimus me inuitum cum Chriſtianis qualibus qualibus, Chriſtianis tamen, ad hoc bellum deſcendere maximis & intolerabilibus Crucigerorum iniuriis prouocatum, & officio meo adductum, vt populos abs te curæ & fidei meæ concreditos de rapacibus & cruentis eorum manibus & infandis cõtumeliis vindicem. Tu noſti conſilia pacis me nunquã defugiſſe: & vel iniqua pace bellum iuſtum redimere cupiuiſſe: ſed quando apud homines ſuæ cupiditati inſatiabili, & irreligioſæ ſuperbiæ modum nullum ſtatuentes, manſuetudine & patientia nil proficio, tuæ iuſtitiæ fiducia iuſta piaq; arma ſumpſi; tuiſque auſpiciis vexillum hoc nunc explico. Tu quæſo iuſtiori cauſæ faueto: & ſanguinem Chriſtianorum hominũ, qui immaniter à Crucigeris trucidati ſunt, quoſq; hoc bellum vtrinq; abſumet, ab illis qui cauſam dederunt expetito. Hęc Rex collachry

mante omni exercitu. Idem fecêre deinde Vitoudus & Maſouii Duces, atq; Proceres Poloni & Lithuani: Poloni verò abſterſis lachrymis Carmen [d] patrium, ſiue Pæana, Virgini Matri Dei dicatum, Bogárodźicá, quod D. Adalbertus Archiepiſcopus & martyr Polonis tradidit, cecinêre. Mox ad Luterbergam caſtra mota; quo in loco deteſtanda atque horrenda res accidit. Nam duo Lithuani ſanctiſsimum Chriſti IESV corpus, quod in templo de more apud Chriſtianos aſſeruatur, profanè in terram de argenteo ferculo abiecerant: [e] qua re commotus Rex au-ctores ſceleris perquiri iuſsit: qui iuſſu Vitoudi ipſi ſibi furcam excitarunt, & ſuis vterq; manibus, barbaro quidẽ, ſed patrio more ſeſe ſuſpenderunt: obiurgantes ſe mutuò, ne ſua cunctatione iram Principis in ſe accenderent, quaſi is atrocius etiã aliquid in eos poſſet ſtatuere. [f] Nec ferè tale quippiam poſtea deſignatum eſt terri-tis cunctis duorum ſupplicio. Rex autem quum non facta re diuina præter morem caſtra mouiſſet propter noctem præcedentem tempeſtatibus inquietam, & ventos flantes, qui Crucige-

Exercitus eius Bogárodsicá canit.

Sacrilegos milites punit.

 rorum

rorum etiam tentoria disiecerant;apud Grunevaldum pagum erecto tentorio[g] rei diuinę vacauit: interim verò ei nuntiatur ab exploratoribus alio super alium accurrentibus hostes adesse: ad extremum veniens & ipse Vitoudus nuntiat hostes in conspectu esse: nî maturetur in imparatos impetum daturos: nec tamē auelli Rex ab altaribus, donec sacra peragerentur, potuit. Postea à Zindramo & Vitoudo acies instructæ: læuum cornu Poloni, dextrum Lituaui tenuêre: quinquaginta fuêre signa Polonica, Lituanica quadraginta. Iamq; Rex peractis sacris armatus in aciem prodibat; quum ex hostili acie duo caduceatores progressi, quòd mandata ad Regem à Magistro se ferre significabāt, intacti ad Regem deducti sunt.[h] Hortabantur autem Regem ij Magistri nomine, ne tam cunctanter & meticulosè pugnam iniret: & quò incunctantiùs id faceret, duos gladios strictos Regi & Vitoudo obtulêre, vt vel ijs aduersus Crucigeros vteretur. Rex placidè & modestè caduceatoribus respondit: Quamuis armorum satis habeat in exercitu, accipere se tamen in Dei

Missam reuerēter audit.

Nec ab ea se auelli instantibus hostibus patitur.

Gladios superbè ab hoste oblatos accipit.

Modestè respondet.

nomine

nomine gladios, ab hoste cõtumeliæ causa missos: atq; ita accipere, vt omen victorię, quam sibi armorum traditio portẽdebat. Accepti gladij in ęrario Regio in hanc vsq; diem asseruantur. Mox Ladisláús paucis pro tempore milites cohortatus canere signa iussit; simulq́; exercit⁹ omnis [i] patriũ Pæana cecinit. ac demum diuino beneficio victor euasit. Fertur autem à multis ex vtroq; exercitu per omne tempus prælij conspectus esse in áére venerandus pontificali habitu vir dimicantes nostros confirmans, hostibus verò terrorem incutiens: [k] atq; is D. Stanisláús Episcopus Cracouiensis fuisse creditur. Et affuit sanè Polonis non obscurè diuinum auxilium in eo prælio. Nam de nobilioribus Polonis pauci cecidêre. [l] Insequenti die sacris inprimis Deo solenni põpa peragendis, hymnisq́; iussu Regis vacatum est; [m] hinc cæsorum funeribus cura impensa: exhibiti deinde omnes captiui: ac cæteri quidem omnes sponsione militari à Sbigneo Marsalco obligati, vt se ad diẽ S. Martini Cracouiæ sisterent, iussu Regis dimisi, dato etiam pro cuiusque conditione via-

Milites cohortatur.

Bogárodzicá canitur.

D. Stanisláús visus in hoc prælio nostros confirmasse.

Gratiæ solennes Deo pro victoria aguntur.

tico:

tico: Casimirus verò Scecinensium & Conradus Olesnicensium Duces, ac cęteri in Poloniã missi, per arces asseruandi distributi sunt. Dimissus deinde in Poloniam veredarius cum nuntio victoriæ ad Archiepiscopum, Episcopos, ac Præsides Academiæ, celeriter cunctam Poloniam immensa lætitia affecit: quamobrem solemnes supplicationes apud omnia templa habitæ: diesq; tam insigni victoria memorabilis, quo Diuisio Apostolorum Christi repræsentatur, inter festos relatus.

Dies anniuersarius victoriæ sacer.

a Eleemosynis & orationibus felix euentus belli à Deo postulandus. Sic Asa Rex Iuda, Iosaphat similiter, & multi alij leguntur in diuinis literis orationi ante prælium vacasse, quorum orationes infrà describentur.

b Humilitas Regis pedibus ædem sacram ascendentis. *Humilium siquidem Deo placet deprecatio.* Iudith 9.

c Ostendit Ladislaûs Rex bella non temere mouenda. præsertim contra Christianos: sed quando tentatis primùm omnibus alijs medijs pax publica ob superbiam & temeritatem hostium obtineri nisi armis non potest. *Pacem habere debet voluntas*, ait S. Augus. *bellum necessitas. vt liberet Deus à necessitate: & conseruet in pace.*

Epist: 202.

d Quo alio cantu meliùs Mars Christianorum militum accendi, & animi ad certamen bellicum inflammari possunt, quàm quo Deus & sancti eius laudantur, & patroni atque auxiliatores inuocantur? Iosaphat Rex Iuda statuit cantores Domini, vt laudarent eum; & antecederent exercitum; ac voce consona dicerent; *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.* Estque cantum hunc admirabilis illa de Sennacherib victoria consecuta. *Nicanor*, vt in sacra Machabæorum historia legimus, *& qui cum ipso erant, cum tubis & canticis admouebant. Iudas verò & qui cum eo erant, inuocato Deo per orationes congressi sunt; manu quidem pugnantes,*

2. Paral. 20.

2. Machab: 12.

pugnantes sed Dominum cordibus orantes: ita factum vt signis collatis Nicanor ceciderit, & 35 millia hostium fusa sint. Vetus mos Polonorum erat antequam cum hoste confligerent, patria lingua & voce Canticum vulgo *Bogárodzicá* dictum occinere. quo & fidem Catholicam profitebantur: & opem B. Mariæ virginis, & aliorum cœlitum suppliciter implorabant. Nunc grassantibus hæresibus mos hic pius & salutaris exoleuit, meritò postliminio reuocandus.

e Metuebat scilicet pius Rex, ne istorum impiorum hominum facinoris pœnas vniuersus lueret exercitus; sicuti olim vnius Achan sacrilegium in vniuersum Iosuanum exercitum redundauit. *Cauendum est omnibus Christi fide insignitis*, monet Concil: Aquisgranense, *ne propter aliorum sacrilegum factum, nec secum quod absit Dominum habeant, nec coram inimicis suis stare præualeant. Patratores sacrilegi facti magnopere cauere oportet; ne propter suam cupiditatem, quam erga res Deo sacratas exercent, sibi instar Achan mortem æternam, aliisq; Dei offensam, & coram hostibus suis acquirant miserabilem ruinam. &c.* *Lib: 2. c. 1.*

f Pœna vnius est correctio omnium: vti contrà scelera crescunt impunitate. *Disciplina castrorum antiquior fuit*, ait Iuriscos. *parentibus Romanis, quàm caritas liberorum. Hac laxata vel dissoluta necesse est vires exercitus quantumuis magni labascere, & veluti corporis compagem neruis succisis dissolui.* De qua præter suprà commemorata hæc præter ea libet annotare. Partes eius non postremæ in milites rapaces vel dissolutos seuere animaduertere. *Nescio enim quo pacto assiduè dimicantibus difficile est morum custodire mensuram;* dicebat Rex Athalaricus, *& militaribus officiis assueti iustitiæ parere despiciunt. Iccirco sicubi seueritate, in castris certè opus est.* Aurelianus Imperat. ita timori militibus fuit; vt sub eo posteaquam semel cum ingenti seueritate castrensia peccata correxit, nemo peccauerit. Militem qui adulterium cum hospitis vxore commiserat ita puniuit: vt duarum arborum capita inflecteret; ad pedes militis deligaret; easdemque subitò dimitteret, vt scissus ille vtrinque penderet. quæ res ingentem timorem omnibus fecit. Pescennius Niger Imperat. cùm intellexisset à milite suo gallinam cuidam rustico per vim ereptam, atque ad illius epulas raptorem decem alios adhibuisse comites, ingenti labore (cùm ob hoc ipsum ad rebellionem spectare exercitus videretur) vix retentus est, quin omnes capitali pœna multaret, lenitaq; seueritate animaduersionis effecit: vt denæ per singulos gallinæ, ei cui fuerat erepta persoluerentur: eorumque nullus durante ipso bello in tabernaculo suo ignem accenderet: soloque pane & aqua vitam duceret. Cum Tamerlani in Asiam minorem exercitum ducenti lachrymabunda mulier

Cassiod: lib: 1. variar: Epist: 11.
Vopiscus in Aureliano.
Fulg: lib: 2. cap: 2.
Idem ibi.

mulier occurrisset querens ab eius milite nullo dato pretio lac parumque casei erepta esse; statim consistere iussit exercitum: atque inde agmen ordinatim incedere, vt mulieri facultas esset eum agnoscendi, qui vim fecerat. Agnito igitur per pectus se præsente aperiri corpus iussit, in cuius stomacho lac quod mulieri eripuerat inuentum est. Hac seueritate assequebatur, vt copiæ quas habebat immensas, cùm tutus ad castra omnibus esset accessus, omni commeatu semper abundarent. *Idem.* Pisistratus Atheniensium tyrannus, cùm militem vigiliæ nocturnæ munus obeuntem dormire offendisset, occidit dicens se eum vt inuenerat reliquisse.

g Et hæc quoque Iagellonis religio singularis, nonnisi re diuina per acta arma capessere. Intelligebat Rex sapiens placando Deo sacrisque eius rite & pie obeundis non teri tempus, nec occasionem rei bene gerendæ prætermitti. Satis in tempore pugnat, qui præmissa oratione Deo fretus pugnat.

h Superba legatio. Venit hoc loco in mentem Nicanoris superbia, quam sacra scriptura commemorat. Cogitauit is cum Iudæis *ipso die Sabbati committere bellum.* *2. Mach: 15.* Nonnullis verò dicentibus: *Ne ita ferociter & barbarè feceris; sed honorem tribue diei sanctificationis: & honora eum qui vniuersa conspicit: ille infelix interrogauit; si est potens in cœlo; qui agi diem Sabbatorum imperauit. Et respondentibus illis: Est Dominus viuus ipse in cœlo potens, qui iussit agi septimam diem. At ille ait; Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia regis impleri. Et Nicanor quidem cùm summa superbia erectus cogitauerat commune trophæum statuere de Iuda: Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi à Deo affuturum.* Hæc ibi. Et euentus belli docuit superbiam abominari Deum. Cecidit enim in eo bello Nicanor,& cum eo triginta quinq; millia armatorũ.

i Iterum Canticum *Bogárodsicá* repetitum ab exercitu iam iam congressuro.

k Sæpius leguntur sancti prælijs interfuisse, & veluti Duces bellorum fuisse. *2. Mach: 10.* *Cùm vehemens pugna esset* Iudæ Machabæi cum Timotheo, ait scriptura: *apparuerunt aduersariis de cœlo viri quinque in equis frenis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: ex quibus duo Machabæum medium habentes armis suis circumseptum incolumem conseruabant: in aduersarios autem tela & fulmina iaciebant. ex quo & cæcitate confusi & repleti perturbatione cadebant.* *2. Mach: 11.* Et alio loco: *Cùm,* ait, *prompto animo procederent* (scilicet contra Lysiam) *Ierosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum; & conualuerunt animis, non solùm homines, sed & bestias ferocissimas & muros ferreos parati penetrare. Ibant igitur prompti de cœlo habentes*

adiutorem

adiutorem, & miserantem super eos Dominum. Leonum autem impetu irruentes in hostes prostrauerunt ex eis vndecim millia. &c. Aliæ quoque historiæ non pauca huiusmodi exempla suppeditant. Panegyricus sextus in laudem Constantini Magni dictus memorat eo præliante visos in Gallia qui se diuinitus missos præseferebant, vmbone corusci, & cœlestium armorum luce terribili ardentes. quorum hæc erat sermocinatio; *Constantinum petimus: Constantino imus auxilio.* Baldricus Dolensis Episcopus scribit comperisse se ex his qui interfuerant bello Christianorum cum Turcis & Persis ad Antiochiam; oblatam hostibus speciem trium procerum humana specie augustiorum. qui albentibus in equis sedentes ingens agmen pari cultu corporis, specieq; oris ex editissimis locis aduersus hostes ducerent. Hos non ab omnibus sed à quibusdam Christianorum visos, creditosque esse SS. Martyres, Georgium, Demetrium, & Mercurium, nec deinde barbaris animus mensue aut consilium suppetebant. Refert etiam Cedrenus S. Demetrium Martyrem, cùm à Bulgaris obsideretur Thessalonica; ciuesque tota nocte supplicationem fecissent; eoque vnguento, quod è martyris sepulchro scaturit, vsi essent; spectatum in acie Diuum, vt captiui iureiurando affirmarunt dicentes, se iuuenem in equo vidisse, qui Romanam phalangem ductaret; ex quo ignis exiliens hostes aduersos cremaret. Plura externa commemorari possent exempla. Addam vnum domesticũ S. Casimiri, de quo illud memoriæ proditur, apparuisse illum Lituanis cum Mosco pugnaturis, veluti præuiũ ducem in áére, victoriamq; insigné cæsis ad internecionem hostibus attulisse.

Paul: Æm: lib: 4. de gestis Franc.

In Compen: Histor.

l Gratias Deo agendas victoria parta sacrarum literarum exempla docent. Iacob ereptus è manibus hostium Sichimitarum, Esau fratris, & aliorum inimicorum, conuocata omni domo sua dixit; *Surgite & ascendamus in Bethel vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ. &c.* Iosaphat Rex Iuda victoriam consecutus *die quarto vniuersum exercitum in valle quadam acturus Deo gratias congregauit*, quæ vallis ideo *Benedictionis* est appellata, eo quòd in ea benedixissent Dominum. Iterum *solennes alias egit Domino Ierosolymis gratias cum lætitia magna, eò quòd dedisset ei Dominus gaudium de inimicis suis. Cunctusq; populus ingressus est Domum Domini cum psalteriis & citharis, & tubis. &c.*

Gen: 35.

2. Paral: 20.

m Habendus quoque honos est corporibus cæsorum in prælio. Iudas Machabæus corpora prostratorum in prælio cum Gorgia tulit, & cum parentibus in sepulchris paternis sepeliuit. Neque solùm corpora talium sepulturæ sunt mandanda, sed & delicta illorum eleemosynis & sacrificijs expianda. quod fecisse Iudas legitur ibidem. *Facta enim collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificiũ.*

2. Mach: 12.

XVII Exemplum eiuſdem Iagellonis domi precibus incumbentis, & foris Rusſos vincentis.

Ex Herburto lib: 14. cap: 13.

Ruſſi cæduntur à Polonis.

Rege abſente Deo ſupplicante.

Eadem die rumor de victoria allatus Crac.

THeodoretus, ſiue Fedco, Dux Ruſſorum longè maiorem noſtris habẽs exercitum nec opinantes eos aggreſſus eſt. quum tamẽ deploratę penè rei noſtrorum diuinum adfuiſset auxilium; cæſi ſunt hoſtes, & ad mediam ferè noctem (quæ tunc ſubluſtris erat) fugati. Magna in hoſte ſtrages edita; & duodecim ſigna capta ſunt. Abeſt autem locus ille prælij à Leopoli non minùs quadraginta milliaribus bene longis: & tamen quo die hæc geſta ſunt (hoc eſt, vltimo Nouembris) quum Rex in templo (vbi tunc totos dies trãſigebat) diuinam opem ſedulus imploraret (non ignarus, cum quàm grauibus & inſidioſis hoſtibus exercitui ſuo res eſſet) rumor de victoria ſparſus Cracouiam totam impleuit: nec auctor eius rumoris inueniri potuit, ita vt vana exultaſſe lætitia homines

viderentur. Sed quum poſtero die res omnis cognita eſſet, gratijs Deo actis Rex lætus Cracouiam venit: & ouans pedibus vrbem ingreſſus, apud complura templa feſtas ſupplicationes obiuit priuſquam arcem aſcenderet. *Rex pedibus vrbem intrat: ſupplicationes publicas obiit.*

Principes pij etiam ex longinquo precibus pugnant & victoriam impetrant. Sic Ioſue contra Amalechitas præliante armis & viris Moyſes in vertice collis pugnabat piis ad Deum precibus fuſis. *Exod: 17.* Cumque leuaret manus Moyſes, vincebat Iſrael: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec. Sic inſignis illa de Turcis in mari reportata à Ioanne Auſtriaro victoria, precibus Pij V. Pont: Max: parta creditur. *Surius Anno 1571.* Cum enim cognouiſſet claſſem Chriſtianam ſoluiſſe, in intimum quemdam locum palatij ſe recepit, preceſq; Deo cum lachrymis fudit, in iis dies noctesq; perſeuerans: donec tandem ex loco, in quem ſe abdiderat, iucundo vultu prodiit ſub illud tempus, quo à noſtris debellatum eſt, tanquam diuinitus certior factus de victoria. Boleſlai quoque Pudici precibus noſtri olim profligarunt Ruſſos. Nam ipſe quidem ad bellum profectus non fuerat; domi tamen precibus & ſupplicationibus cum caſtiſſima Kinga coniuge ſua exercitus ſui curam & protectionem Deo commendabat. *Cromer: lib: 9. hiſtor.*

XVIII Exemplum Maſcezil exercitus Romani ducis contra Gildonem.

Ex Hiſtoria Miſcella libro 13.

MAſcezil ſciens, quantum in rebus deſperatiſsimis Oratio hominis per Fidē Chriſti clemētiam impetraret, Caprariam inſulam adiit; inde ſecum ſeruos Dei aliquos abducens: *Maſcezil ſeruos Dei ſecum ducit in prælium.*

Cum iis vacat ieiuniis & orationibus.

cum quibus orationibus ac ieiuniis dies aliquot continuauit. & noctes, pro qua re victoriam ſine bello meruit,& ſine cæde vindictam. Igitur Ardealio,fluminis nomen eſt, quod fluit inter Teueſtem & Amedarã ciuitates: vbi cum parua manu,hoc eſt cum quinq;millibus,vt aiunt, militum, contra ſeptuaginta millia hoſtium caſtrametatus, cùm interiecta mora excedere loco, appoſitasq; vallis præiacentis anguſtias tranſgredi vellet, incurrẽte nocte Beatum Ambroſium Epiſcopum, Mediolani paulò ante defunctum,per ſomnium ſibi videre viſus eſt, ſignificantem manu, & impacto ad humum ter baculo dicentem: Hîc,hîc,hîc. Quod ille prudenti coniectura intellexit merito annũciantis fidem victoriæ, verbo locum,numero diem ſignificari. Subſtitit ergo ac tertio demùm die poſt noctem orationibus hymniſq; peruigilem ab ipſis cœleſtium myſteriorum ſacramẽtis in hoſtem circumfuſum proceſsit: & cùm ad eos qui primo occurrerãt pia pacis verba iactaret, ſigniferum quemdam inſolenter obſiſtentem gladio percuſsit in brachio, cumq; manu debi-

B. Ambroſius ei per ſomnium apparet.

Victoriam obſcurè prædicit.

Maſcezil communione percepta pugnat.

Pacẽ priùs offerrens.

lem, ipſo vulnere cóégit pronum inclinare vexillum. Quo viſo auxiliarij Gildonis barbari illico terga dederunt. Gildo & ipſe fugiens adſcenſa naui, cùm in Africam rediiſſet, poſt aliquot dies ſtrangulatus interiit. Sanè idem Maſcezil elatus rerum ſecundarum inſolentia & tumens, poſthabito ſanctorum conſortio, cum quibus antea Deo militans vicerat, etiam Eccleſiam Dei temerare auſus eſt; atq, ex ea quoſdam nō dubitauit extrahere. Sequuta mox pœna ſacrilegum eſt. Nam iiſdem ſuperſtibus atque inſultantibus, quos ab Eccleſia ad pœnam protraxerat, poſt aliquantum tempus ſolus ipſe punitus eſt: probauitq; in ſe vno ad vtrumque ſemper diuinum vigilare iudicium, quando & cùm ſperauit adiutus, & cum contempſit occiſus eſt.

Maſcezil deſciſcit à priſtina pietate.

Perit.

Sicut pietas & religio conciliat ducibus & exercitibus victorias: ſic impietas & religionis contemptus graues affert eiſdem calamitates. Feliciter rem gerebat Chriſtianus exercitus bello ſacro in Syria, quàm diu pietas in Deum & cæterarum virtutum ſtudiū in eo vigebat; ſed mox militibus in luxum & peccata prolapſis fortuna ipſorum cœpit inclinare. Scribit P. Æmilius Sacerdotes, qui tum in caſtris Chriſtianorum verſabantur, perſancte aſſeueraſſe ſe nocturna ſpecie admonitos, irent nuntiarentq; ducibus & militibus, Deum Opt: Max flagitiis ipſorum iratum, quod non humana ope fuſo fugatoque Solymano, beneficii cœleſtis immemores minùs reuerentes Superûm extitiſſent: eos caſtra quæ initio velut templum fuiſſent inceſtaſſe,

Lib: 4. hiſt. Franc.

impiæq; religionis mulieribus immiſcuiſſe. Iccirco Deum pœnas fame, concluſione ac metu propinquæ mortis ab eis expetere. Beliſarij quoq; ruina, qua oppreſſus eſt; & calamitas in quam deuenit, poſtquam contra ius & fas in Syluerium Papam multa indigna commiſit, & à priſtino pietatis & religionis ſtudio deſciuit, nulli non cognita eſt. De eo ſic Conſtantinus Manaſſes in Annalibus ſcribit; *Beliſarius vir fortunatus, magnus copiarum ductor, qui formidabilem Choſroëm Perſarum Regem exterruerat: qui Reges ſeruitutis iugo ſubiecerat: qui gladio tot Libyæ nationes domuerat: vir denique Mauortius, & in prælijs animo leonino præditus, ruinam tandem lachrymis deplorandam ruit. Factus eſt heu miſer pupillo nudior: calicem calamitatum largiter hauſit.* Hæc ille. Saul denique Rex dum initio Deum coleret, eiuſq; mandatis obedientem ſe præberet, quàm felix & fortunatus, quàm Philiſteis formidabilis fuit? At poſtquam Deo & præceptis eius contumax extitit, auxilio ipſius deſtitutus armis Philiſtinorum occubuit, & regnum ſibi familiæque ſuæ amiſit. Hæc rogo Reges & Duces intelligite: *Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore: apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus.* *Pſal: 2.*

XIX Exemplum Cyriaci Ducis Romani exercitus contra Perſas.

Ex Surio in Vita S. Theodoſij Cœnobiarchæ 11. Ianuarij.

Cyriacus loca ſacra adit ante bellum.

DVx Romani exercitus nomine Cyriac⁹ in bello audax, in Deum autem pius, incurſionem facturus contra Perſas exiſtimauit ſe primùm oportere currere Ieroſolymam, & illinc aduerſus hoſtes aſſumere auxilium. Cùm autem ſtatuiſſet in tranſitu ire ad hominē Dei Theodoſium; eum enim valde trahebat illius fama & virtutis illecebræ: dum abiret, multa

alia licuit ei audire ex sacra illa lingua, & hoc inter cętera; [a] Ne (quomodo diuinus Dauid) in arcu speraret: nec poneret salutem in gladio; sed nec in multorum hominū confideret millibus: vnum autē sciret adiutorem, vnum inexpugnabilē, cui est facilè vt vnus mille persequatur, & decē millia profligentur à duobus. Hæc cùm sanct⁹ Comiti disseruisset, ita fuit ille capt⁹ ab eius admonitionibus, & ita flagare cępit eius desiderio & ardenti fide, vt ipsum ciliciumquo Magnus ille interius induebatur, loco cuiusuis alterius rei arma peteret, quibus se conseruaret. Quod quidem cùm accepisset & induisset, & consueta aggressus esset certamina, paulò post victor redijt, cùm & animi & manus præclara ostendisset facinora, & digna quæ commemorentur. Cùm rebus ergo fortiter in bellò gestis insignis & clarus esset reuersus, nequaquam ingratus fuit inbenefactorem; neq; vt multi, qui postquam sunt consecuti, obliuiscuntur beneficij: sed se similem conseruans in omnib⁹, rursus venit ad sanctū cum vehemēti cordis exultatione, & gratias agens & ei vniuersam ascribens

Monita accepit à S. Theodosio Abbate.

Petit ab illo ciliciū eius.

Idq; pro armis induit.

bens victoriam. dicebat enim; Illo ipso tempore pugnæ mihi quidem, cùm pro thorace tuum induissem cilicium, veniebat in mentem confidere, & in hostes irruere. Cùm autem manus conseruissemus magnę exoriebantur tenebræ tanquam in densa caligine: & ab alijs quidem omnibus ea etiam, quæ propè erant, cerni non poterant: ego autem te solum mihi videbar videre me pręcedentem, & manu significantem & admonentem, vt has quidem prælij partes dimitterem, in has autem pugnarem, & te duce, equum agere; donec conspectus terribilis & intolerabilis inimicis, vehementi terrore omnibus iniecto efficerem, vt se conijcirent in pedes, & turpem fugam lubenter eligerent.

Apparet ei prælianti S. Theodosius.

a Sic Amasiam quoque Regem Iuda vir Dei admonuit. *Si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Dominus ab hostibus: Dei quippe est adiuuare, & in fugam conuertere.* In lib: 2. Machab: describitur apparatus Timothei & Iudæ Machabæi. De Machabæo quidem dicitur, habuisse illum *sponsorem victoriæ & prosperitatis, Deum cum virtute.* Ecce duo præclara illustrium victoriarum parandarum instrumenta, Deus, & virtus, robur scilicet militum. De Timotheo verò dicitur, habuisse illum belli ducem animum, id est de viribus & robore exercitus præsumptionem: sed hos qui belli ducem animum solum habebant, superarunt & profligarunt illi, a quorum partibus Deus & virtus stabant.

2. Par: 25.

XX. Exem-

XX Exemplum Britannorum pugnantium cum Saxonibus & Pictis Duce S. Germano Epiſcopo Altiſiodorenſi.

Ex Venerabili Beda libro 1. Hiſtor: cap: 20.

SAxones, Pictiq; bellum aduerſus Britones iunctis viribus ſuſceperunt. quos eadem neceſsitas in caſtra conſtrinxerat; & cum trepidi partes ſuas penè impares iudicarēt, ſanctorum Antiſtitum auxilium petierunt. Qui promiſſum maturantes aduentum, tantùm ſecuritatis & fiduciæ contulerunt, vt acceſſiſſe maximus crederetur exercitus. Itaq; Apoſtolicis Ducibꝰ Chriſtus militabat in caſtris. Aderant etiam Quadrageſimæ venerabiles dies, quos religioſiores reddebat pręſentia Sacerdotum intantum, vt quotidianis prædicationibus inſtituti certatim ad gratiam baptiſmatis conuolarent. Nam maxima exercitus multitudo vndam lauacri ſalutaris expetijt. Eccleſia ad diem Reſurrectionis Dominicæ frondibꝰ contexta cō-

Saxones Pictiq; euocāt ad caſtra Epiſcopos.

Illi in caſtris frequētes habent conciones.

Plurimos baptiſant.

ponitur,

ponitur, & in expeditione campestri instar ciuitatis aptatur: madidus baptismate procedit exercitus; Fides feruet in populo: & contempto armorum præsidio Diuinitatis expectatur auxilium. Interea hæc institutio vel forma castrorum hostibus nuntiatur: qui victoriã quasi de inermi exercitu præsumentes assumpta alacritate festinant: quorum tamen aduentus exploratione cognoscitur. Cumque emensa solennitate Paschali recẽs de lauacro maior pars exercitus arma capere & bellum parare tentaret, S. Germanus Ducem se prælij confitetur. Eligit expeditos; circumiecta percurrit: & è regione, qua hostium sperabatur aduentus, vallem circumdatam editis mõtibus intuetur: quo in loco nouum componit exercitum ipse dux agminis. Et iam aderat ferox hostium multitudo, quam appropinquare intuebantur in insidiis constituti. Cùm subitò Germanus signifer vniuersos admonet, & prædicit, vt voci suę, vno clamore respondeant: securisq; hostibus, qui se insperatos adesse confiderent, ALLELVIA tertio repetitum sacerdotes inclamant. Sequi-

S. Germanus ducit exercitum.

Conclamat exercitus Aleluia.

tur vna

tur vna vox omnium, & eleuatum clamorem repercusso áére montium inclusa multiplicāt: hostile agmen terrore prosternitur: & ruisse super se non solùm rupes circumdatas, verùm etiam ipsam cœli machinam, contremiscunt: trepidationiq́; iniectę vix sufficere pedum pernicitas credebatur. Pasim fugiũt: arma proiiciunt gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini. Plures etiam timore præcipites flumen, quod sensim venientes transierant, deuorauit. Vltionem suam innocens intuetur exercitus: & victoriæ præstitæ otiosus spectator efficitur: spolia colliguntur exposita: & prædā cœlestis victoriæ miles religiosus adipiscitur. Triumphant Pontifices hostibus fusis sine sanguine: triumphant victoria Fide obtenta, non viribus. *Hostes terrentur.* *fugiunt.*

Habendæ sunt in castris frequentes ad milites conciones, quibus & à vitijs dèterreantur; & ad Dei cultum, pœnitentiam pro peccatis agendam, de cœlo auxilium implorandum, mortem præ oculis habendam, fortiter pro patria dimicandum excitentur. Hæ sunt tubæ sacerdotales Euangelicæ. ad quarum clangorem muri Iericho corruunt.

XXI Exemplum Henrici Aucupis Imperatoris contra Vngaros pugnantis.

Ex Cranzio lib: 3. Metrop. Saxoniæ, cap: 8.

Henricus Imperat: æger accingit se ad prælium.

PRofecti Vngari in Turingiam peruenerant. cùm Regi Henrico repentinus affertur nuntius de hostium insolenti agmine. Iam perniciosa ægritudine Rex laborabat: & tamen supra vires egit, vt arma per quatriduum quanta poterant iungerentur. Accessère voluntarii omnes in hostes Fidei; & pietatis officiũ non grauatè obibant, scientes quid præmij sit constitutum in eo deficiẽtibus: quid etiam periculi si non modò pro libertate depugnent. Iam ad vrbem Mersborg nuntiantur hostes castra fixisse. Rex autem expeditum iam habens agmen equitum peditumq́; fidenter mouit in hostes. Vbi sub mutuum aspectum venêre exercitus, clamor exoritur. à Christianis quidem Kyrie eleison, ab Vngaris autem perfidis tartareus stridor insonat, hui, hui, hui: manus de-

Exercitus eius canit Kyrie eleyson.

inde

inde conſeruntur. Ibi apparuit quid ſupernum à Chriſtianis imploratū poſsit auxilium: quid etiam in armis miles fiduciæ ferat. Sternuntur perfidi ſine numero: capiuntur multi: cœleſti munere inſignis ac mirabilis victoria Regi prouenit. Vngari qui ſuperfuêre, laceræ velut nauis fragmenta colligentes, noctibus ſe ſubducunt. Rex victor in laudes conditoris Dei reſolutus eius gratiæ deputauit victoriam. Tributa quæ hoſtibus penderet, vertit in vſus pauperū. *Vngarum vincit.* *Gratitudo pro victoria*

Non in fortitudine (ait Pſaltes Regius) *equi voluntatem habebit Dominus: nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Bene placitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.* *Pſal: 146.*

XXII Exemplum cuiuſdam Præfecti arcem Nienhuſen contra Moſcos defendentis, anno 1381.

Ex corpore Hiſtor. Polonic. tomo 3.

OPpugnabant Moſci arcem Nienhuſen anno 1381 cui oppugnationi magnus Moſcouiæ Dux ipſe intererat, vná cum trecentis militum millibus. Ac tandem poſt diutinam & pertinacem obſidionem & crebras irruptio-

nes, mœnia & propugnacula labefacere Mosci inceptant: obſeſsi cum hoſtium aſſultũ diu ſuſtinuiſſent, tandem in ſolis viribus humanis diffiſi diuini Numinis clementiam & auxiliũ quotidianis ardentibusq́; votis expoſcunt. Pręfectus, vt in bellicis rebus reliquis pręſtabat, ita hoc quoque in negotio cæteris feruentior erat. Igitur quadã nocte Veneris diem proximè antecedẽte in ſomnis peruigilat; ante aram quandam proſternitur; orat vt in tam deplorato rerum ſtatu Deus apparere dignetur, felicemq́; tam grauis obſidionis liberationẽ elargiri. Exorto ſole, cùm Rutheni certò iam arcis expugnationem ſibi promitterent, exurgit è precibus ſuis Præfectus, acceptoq́, arcu telum ferrea acuminataq́; cuſpide in Dei nomine in mediũ Ruthenorum exercitum è feneſtra emittit: fauent conatibus ſuperi: volat miſsile ferrum: & ipſius Moſcouii principis cor transfigit. Concurrunt trepidi comites, dominumq́; ruentem ſuſcipiunt. Ille manu moriens telum trahit, oſſa ſed inter ferreus ad coſtas alto ſtat vulnere mucro. Rutheni magno cum vlulatu Principis

Obſeſſi in arce à Moſcis ad Deũ confugiunt.

Præfectus arcis in ſomnis orat.

Sagittam iacit in incertum.

Moſcouiæ Ducem in corde vulnerat.

& Impe-

& Imperatoris sui tam funestum & luctuosum casum deplorant: arreptumq́; funus in Moscouiam perferunt. Liuones hoc mirabili memorabiliq́; modo liberati arcum perpetui trophęi loco in Basilica, quæ ibidem in castro extructa erat, ad altare suspendunt. Solebat in eo templo cultus diuinus quondam magna pietate ac deuotione peragi: nunc verò peruersis dogmatibus receptis nullum pristinæ pietatis vestigium conspicitur.

Arcus ad rei memoriam ad altare suspenditur.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum Regis. Psal: 44.
Vir quidam tetendit arcum in incertum sagittam dirigens: & casu percussit Regem Isráël inter pulmonem & stomachum. 3 Reg. 22.

XXIII Exemplum Ioannis Comneni Imperatoris Constantinop. cum Scythis præliantis.

Ex Niceta Choniate in Annalib.

IOannes Comnenus, qui ante Micháëlem Constantinopolitanum gubernauit imperium, cùm in bello contra Scythas suscepto inferiorem se esse cerneret: suosq́; milites vrgeri grauiter, ac premi videret; ad Dei genitricis

Ioannes Cōnenus in periculo belli inuocat Dei Matrem ad eiusdem effigiem.

imaginem, quam præſentem habebat, ſupplex & gemebundus accurrit; atque illius implorauit auxilium, quam ſacra elata effigies adumbrabat. Res magna. ſtatim, vt precari deſijt Scythicam fugauit aciem: ſublatisque manibus, vt alter Moſes turmas hoſtiles diſsipauit. Propter hanc victoriam Comnenius vota, quæ in periculo fecerat, Deo ac Virgini perſoluit incolumis: diemq́; feſtum in rei geſtę memoriam, anniuerſariaſq́; ferias quotannis celebrauit ad poſteroſq́; tranſmiſit. Cùm verò de hoſtibus triũpharet, & quaternos candidiſsimi coloris equos iunxiſſet ad currum, ſedere ipſe noluit, ſed in apparatiſsima rheda præpotentis Dei matris imaginem collocauit. Cumq́; habenas ſuis propinquis, & ex prima nobilitate viris tractandas moderandaſq́; dediſſet, manu ipſe prætenta cruce triumphalem currum pedes ſequebatur. Inde templum ingreſſus cùm gratias audiente populo, Chriſto, eiuſq́; matri ſupplex egiſſet, in palatium ſe recepit.

Eius ope Scythas fugat.

Pro victoria diem feſtum Virgini dicat.

D. Virginis imaginem facit triumphare in curru imperiali.

Ipſe pedes ſequitur crucem tenens.

Lib. 5. Marial. 28 cap.

Iuuat hoc loco ſubiungere ad promouendam erga D. Virginem militum pietatem & religionem clariſſimi & ſanctiſſimi Vngariæ Regis Stephani exemplum. Huic ergo, vt pluribus ex Bonfinio demonſtrat Caniſius, familiaris

liaris

liaris mos fuit, vt non ſe ipſum modò, ſed & filium Emericum, ac totum Pannoniæ regnum in ſingularem Mariæ perpetuæ Virginis tutelam frequenter ac reuerenter offerret. Qui cum aliquando hoſtium iniuria laceſſitus bellum ad ſuos tuendos neceſſarium pararet, inprimis operam dedit, diuinam vt opem manibus & corde ſurſum erectis imploraret, ſimulque Mariæ, tanquam Matri & Dominæ ſuæ, vim ab hoſtibus illatam ſuppliciter commendaret. Vide autem quàm id faciebat religiosè: *Si placet tibi*, dicebat, *Domina mundi, tuæ partem hæreditatis ab inimicis deuaſtari, & nouellam Chriſtianiſmi plantationem diſſipari: ne quæſo ſinas illud imputari diffidentiæ meæ, ſed potiùs diſpoſitioni voluntatis tuæ. Si quid commeruit culpa Paſtoris, ipſius luat: oues quæſo inſontes ne patiaris affligi.* Quantum verò fiduciæ in Maria collocatum haberet, ſatis eſt hac precatione moriens teſtatus; *Regina Cæli, mundi inclyta reparatrix* (ob genitum ſcilicet Orbi Redemptorem) *tuo patrocinio ſanctam Eccleſiam cum Clero & Epiſcopis, regnumq; cum Primatibus & populo tuis precibus commendo: quibus ego nunc vltimum valedicens animam quoque meam tuis manibus committo.* Hæc ille verba coram Regni ſui Primoribus protulit, ardenti quadam & ſuprema obteſtatione confirmans, quod maximè in votis habebat Mariam vt Vngari præ cæteris gentibus ſibi Matrem Patronamque perpetuam retinerent. Eam enim ſibi commendatis multum opis atque ſubſidij apud DEVM Opt: Max: poſſe impetrare, ſicut poſtea Vngari reipſa deprehenderunt. Ex quo tempore Vngaris cœpit eſſe ſolenne, ne à ſui Regis Stephani veſtigijs moribuſque diſcederent, Mariam Dominam reuerenter appellare; eius Baſilicas & domi extruere, & foris ornare: ad eiuſdem nomen corpus caputq; ſubmittere: huius & imaginem in pretio paſſim habere: & aureis etiam nummis imprimere. Atq; hunc illi ſpiritum hæc pietatis exercitamenta cum primo fidei Chriſtianæ lacte inde ab initio imbiberunt: hanc diſciplinam primi Doctores ac Principes, qui nomen Chriſtianum illic profeſſi ſunt, tam inclytæ genti iam olim traditum reliquerunt. Verùm enim verò quanto longiùs ab hac prima inſtitutione Vngari deflexerunt, ſeq; veteri epitheto, quo S. Mariæ familia dicuntur indigniores præſtiterunt: tanto ſanè minus patronam illam ſibi fauentem experti ſunt: ac noſtro etiam ſeculo experiuntur. Igitur quæ illorum Reſpub. ſub tali patrona priùs pulcherrimè ſtabat, & cum quouis florentiſſimo Regno certabat: nunc eheu fœdè dilacerata iacet, & partim à Mahometanis canibus maiorem in modum oppreſſa ſe vix mouere iam & reſpirare poteſt: partim ab Eccleſiæ Catholicæ corpore auulſa, & in ſectas varias diſſecta multorum capitum nobis horrendum quaſi monſtrum, aut certè corpus planè ſaucium, & veluti cōfectum refert, nullam vt illic ſpeciem vel vmbram priſtini regijq; ſplendoris agnoſcere liceat. Hæc Caniſius.

SS. Ambrosii & Augustini monita militibus pernecessaria.

Ex sermone 66. S. Ambrosij.

Neminem potest à pia & Christiana vita excusare militia.

NOnnulli fratres, qui aut militiæ cingulo detinẽtur; aut in actu sunt publico cõstituti; cùm peccant grauiter, hac solent à peccatis suis prima se voce excusare, quòd militant: & ne bene aliquando faciant occupatos se malis actibus conqueruntur: perinde quasi militia hominũ, non voluntas in culpa sit: ita quod ipsi gerunt, officijs suis adscribunt. Non enim militare delictum est, sed propter prædam militare peccatum est. Nec rempublicam gerere criminosum est: sed ideo agere Rempublicã, vt rem familiarem potiùs augeas, videtur esse damnabile. Propterea enim prouidentia quadã militantibus sunt stipendia cõstituta; ne, dum sumptus queritur, prædo grassetur. Illud autẽ quale est, quòd cùm ob errorem aliquem à senioribus arguuntur, & imputatur alicui de illis cur ebrius fuerit; cur res alienas peruaserit: cædem cur turbulentus admiserit: statim respondeat;

Quid

Quid habebam facere homo ſecularis aut miles? numquid Monachũ ſum profeſſus aut clericum? Quaſi omni, qui Clericus non eſt aut Monachus, poſsit ei licere quod non licet. Cũctis igitur officijs ſacris literis pręſcribitur norma viuendi: omnis ad bene viuendum prouocatur ſexus, ætas, & dignitas. Igitur nemo ſe publicis excuſet actibus: nemo de occupatione militiæ conqueratur. Apud omnem Chriſtianum prima honeſtatis debet eſſe militia.

Ex eodem S. Ambroſio in Pſalmum 118.

MIles, qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipſe diſponit ſibi; nec pro ſuo arbitrio viam carpit; nec voluptaria captat compẽdia, ne recedat à ſignis: ſed itinerarium ab Imperatore accipit, & cuſtodit illud; præſcripto incedit ordine; cum armis ſuis ambulat; rectaque via conficit iter, vt inueniat commeantiũ parata ſibi ſubſidia. ſi alio ambulat itinere, annonam non accipit; manſionem paratam non inuenit: quia Imperator iubet ijs hæc præparari omnia qui ſequuntur; nec dextera, nec ſiniſtra *Militia ordo.*

niſtra à præſcripto declinant itinere. meritoq́; non deficit, qui Imperatorem ſequitur ſuum. Moderatè enim ambulat; quia Imperator non quod ſibi vtile, ſed quod omnibus poſsibile cõſiderat: ideo & ſtatiua ordinat; triduo ambulat exercitus: quarto requieſcit die. Eliguntur ciuitates in quibus triduum, quatriduum, & plures interponantur dies. Si aquis abundant, commercijs frequentãtur. & ita ſine labore conficitur iter donec ad eam vrbem perueniatur, quę quaſi regalis eligitur, in qua feſsis exercitibus requies miniſtretur.

Ex eodem, lib. 1. de Fide ad Gratianum Auguſtum.

NOTA. PEtis à me Fidei libellum, ſancte Imperator, profecturus ad prælium. Noſti enim Fide magis Imperatoris, quàm virtute militum quæri ſolere victoriam. Nam & Abraham trecentos decem & octo duxit ad bellum: & ex innumeris trophæa hoſtibus reportauit: ſignoq́; Dominicæ crucis, & nominis, quinque Regũ victriciumq́; turmarum ſubacto robore & vlt⁹ eſt proximum, & fratris filium meruit & tri-

umphum. Iesus quoq; filius Naue hostes, quos totius exercitus manu valida superare non poterat, septem tubarum sacerdotalium sono vicit. vbi ducem militiæ cœlestis agnouit. Ergo & tu vincere paras, qui Christum adoras: vincere paras, qui Fidem vindicas.

Ex epistola 50. & 70. D. Augustini ad Bonifacium Comitem.

LAudo, & gratulor, fili dilectissime; quòd inter curas bellorum & armorum vehementer desideras ea nosse, quæ Dei sunt. Verè hinc te apparet etiam ipsa virtute militari Fidei seruire quam habes in Christo. Ora fortiter; & dic Deo, quod habes in Psalmo; De necessitatibus meis erue me. Tunc enim finiuntur mundi necessitates, quando vincuntur cupiditates. Qui exaudiuit te, & nos pro te; vt liberareris de tot tantisque periculis, visibilium corporaliumq; bellorum, vbi sola ista vita quandoque finienda periclitatur; anima verò non perit, si non malignis cupiditatibus captiua teneatur; ipse te exaudiat vt interiores & inuisibiles hostes, id est: ipsas cupiditates inuisibi-

Epist: 50.

Miles virtute militari debet Fidei seruire.

Epist: 70.

Vincere inuisibiles hostes.

Ex bonis mundi facere bene: non fieri malus.

liter & ſpiritualiter vincas: & ſic vtaris hoc mundo tanquam non vtens; vt ex bonis eius bona facias, non malus fias; quia & ipſa bona ſunt: nec dantur hominibus, niſi ab illo, qui habet omnium cæleſtium & terreſtrium poteſtatem. Sed ne putentur mala, dantur & bonis: ne putentur magna vel ſumma bona, dantur & malis. Itemque auferunrur iſta & bonis, vt probentur: & malis vt crucientur. Quis enim neſciat, quis ita ſit ſtultus, vt non videat, quòd ſalus huius mortalis corporis, & membrorum corruptibilium virtus, & victoria de hominibus inimicis, & honor atque potentia temporalis, & cætera iſtius mundi bona terrena, & bonis dantur & malis? & bonis auferuntur & malis? Salus verò animæ, cum immortalitate corporis, virtuſque iuſtitiæ & victoria de cupiditatibus inimicis, & gloria, & honor, & pax inæternum non dantur niſi bonis. Iſta ergo dilige: iſta concupiſce: iſta omnibus modis quære. Propter hęc acquirenda & obtinẽda fac eleemoſynas: funde orationes: exerce ieiunia; quantum ſine læſione corporis tui potes. Bo-

tes. Bona verò terrena noli diligere, quanta libet tibi abundent. Sic eis vtere, vt bona multa ex illis; nullum autem malum facias propter illa. omnia quippe talia peribunt, ſed bona opera non pereunt. Deum diligas; non diligas mundum: vt in ipſis bellis, ſi adhuc in illis te verſari opus eſt, Fidem teneas; pacem quęras; vt ex mundi bonis facias bona opera; & propter mundi bona non facias opera mala.

Ex eiuſdem Epiſtola 202. ad eundem Bonifacium.

NOli exiſtimare neminē Deo placere poſſe, qui in armis bellicis militat. In his erat S. Dauid, cui Dominꝰ tam magnū perhibuit teſtimonium. In his etiam plurimi illius tēporis iuſti. In his erat & ille centurio, qui Domino dixit; „Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo & ſanabitur puer meus. nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus habens ſub me milites; & dico huic vade, & vadit, & alij veni, & venit: & ſeruo meo fac hoc, & facit: de quo & Dominus; „Amen dico vobis non inueni tantam Fidem in Iſráel.

Milites placere Deo poſſunt.

Iſráél. In his erat & ille Cornelius, ad quem miſſus Angelus dixit; Corneli acceptæ ſunt eleemoſynæ tuę: & exauditę ſunt orationes tuę; vbi eum admonuit, vt ad beatum Petrum Apoſtolum mitteret; & ab illo audiret quæ facere deberet. Ad quem Apoſtolum, vt ad eum veniret, etiam religioſum militem miſit. In his erant illi, qui baptizandi cum veniſſent ad Ioannem ſanctum Domini præcurſorem, & amicum ſponſi, de quo Dominus ipſe ait; „ In natis „ mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, & quæſiſſent ab eo quid facerent: reſpondit eis: „ Neminem concuſſeritis: nulli calum- „ niam feceritis: ſufficiat vobis ſtipendium ve- „ ſtrum. Non eos vtique ſub armis militare prohibuit, quibus ſuum ſtipendium ſufficere debere pręcepit. Maioris quidem loci ſunt apud Deum, qui omnibus iſtis ſecularibus actionib⁹ derelictis etiā ſumma continentia caſtitatis ei ſeruiūt. Sed vnuſquiſque, ſicut Apoſtolus dicit, proprium donū habet à Deo; alius ſic, alius autem ſic. Hoc ergo primùm cogita quando armaris ad pugnam, quia virtus tua etiam ipſa corpo-

Militū virtus corporalis donum Dei.

corporalis donum Dei eſt. Sic enim cogitabis de dono Dei non facere contra Deum. Fides quando promittitur, etiam hoſti ſeruanda eſt, contra quem bellum geritur; quantò magis amico pro quo pugnatur? Pacem habere debet voluntas, bellum neceſsitas: vt liberet Deus à neceſsitate; & conſeruet in pace. Non enim pax quæritur, vt bellum excitetur; ſed bellum geritur, vt pax acquiratur. Eſto ergo etiã bellando pacificus, vt eos quos expugnas, ad pacis vtilitatem vincendo perducas. Beati enim pacifici: quoniam ipſi filij Dei vocabuntur. Si autem pax humana tam dulcis eſt pro temporali ſalute mortalium, quantò eſt dulcior pax diuina pro æterna ſalute Angelorum? Itaque hoſtem pugnantem neceſsitas perimat, non voluntas. Sicut rebellanti & reſiſtenti violentia redditur; ita victo vel capto miſericordia iam debetur. maximè in quo pacis perturbatio non timetur. Ornet mores tuos pudicitia coniugalis: ornet ſobrietas, & frugalitas. Valde enim turpe eſt, vt quem non vincit homo, vincat libido; & obruatur vino, qui non vincitur

Fides hoſtibus data ſeruanda.

Neceſſitate ad bellum veniendũ.

Captiuis miſericordia exhibenda.

Milites debent eſſe ſobrii, pudici, & frugales.

 ferro,

Erga diuitias quomodo se debẽt habere.

ferro. Diuitiæ ſeculares ſi deſunt, non per mala opera quęrantur in mundo: ſi autem adſunt, per bona opera ſeruentur in cœlo. Animum virilem & Chriſtianum nec debent ſi accedunt extollere; nec debent frangere ſi recedunt. Illud potiùs cogitem⁹ quod Dominus ait; vbi eſt " theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum.

Vetus Romanorum diſciplina militaris deſcripta à Ioſepho lib. 3. de bello Iudaico Cap: 3.

Studium in defeſſum Romanorũ belligerãdi.

SI quis Romanorum reſpexerit militiæ diſciplinam, profectò cognoſcet tantum eos imperium non fortunæ munere, ſed propria virtute quæſiſſe. Armis enim vti non in bello incipiunt; neq; ſolum ſi neceſſe ſit manus mouent, cum in pacis otio ceſſauerint; ſed armis veluti natura cohærentes nullas capiunt exercitationis inducias: nec tempora pręſtolantur: Meditationes autem eorum nil à vera contentione diſcrepant; ſed in dies ſingulos militum quiſque omnibus armis tanquam in procinctu poſitus exercetur: quo etiam facillimè prælia tolerant. Neque enim ordo neglectus eos à cõſueta

ſueta diſpoſitione diſpergit: neq; metus ſtupefacit: neq; laſsitudo exhaurit. Vnde ſequitur, vt ſemper ſuperent, quos non itidem cõfirmatos inuenerint. Nec errauerit, ſi quis eorũ meditationes cõflictus eſſe dixerit ſine ſanguine; contraq́; prælia meditationes cum ſanguine. Nam ne repentino quidẽ hoſtium incurſu opprimi poſſunt; ſed quocunq; in hoſtilem terrã irruperint, nonniſi permunitis caſtris prælio decernunt. quæ quidem non leui opere, nec iniquo loco erigunt: nec inordinatè deſcribunt: ſed ſiquidem inæquale ſolum fuerit, complanatur: quatuor verò angulis horum dimenſio deſignatur. Nam & fabrorum multitudo, & ferramentorum copia quæ vſus exſtructionis poſtulat, ſequitur exercitum. Et interior quidem pars caſtrorum tabernaculis diſtribuitur: ambitus autem eorum extrinſecus muri faciẽ pręfert: ordinatis etiam turribus pari ſpatio diſpoſitis: quarum interualla catapultis atq; baliſtis, & alijs machinis ſaxa intorquentib⁹ omnibuſque inſtrumentis miſsilium complent, vt cuncta ſcilicet iaculorum genera in promptu ſint.

Ordo Romanorum in caſtris.

Portás autem quatuor ædificant, tam iumentis aditu faciles, quàm ipsis si quid vrgeat intro currentib⁹ latas. Intus autem castra vici spatijs interpositis dirimũt: mediaq́; tectorum tabernacula collocant: & inter hæc prętorium diuûm templo simillimum prorsus, vt quasi repẽtina quædam ciuitas existat: forum quoq; & opificum stationes, & sedes militum primatibus, ordinumq́; principibus, vbi si qua sit inter alios ambiguitas iudicent. Ipse verò ambit⁹, & omnia quę in eo sunt, multitudine simul & sciẽtia fabricantium opinione citiùs communitur: qui, si res vrgeat, fossa extrinsecus cingitur depressa cubitis quatuor, parique spatio lata. Armis autem septi per contubernia cum decore atq; otio in tentorijs agunt: omniaq́; ab his ordinate etiam alia cauteq́; per cõtubernia expediuntur: veluti si ligno, aquaué opus sit, aut frumento. Nec enim cœna vel prandium cùm voluerit in potestate cuiusquam est: simul autẽ omnibus somnus est: excubias & vigilandi tẽpora buccinæ significãt: neq; est omnino quicquam quod sine edicto geratur. Manè autẽ mi-

lites quidem ad centuriones, illi verò ad tribunos conueniunt salutatum: cum quib⁹ ad summum omnium ducem vniuersi ordinum principes. Ille autem his signum, aliaq; dat ex more pręcepta proferenda subiectis: quibus etiam in acie circumagũtur quò opus est: ac vniuersi pariter incurrunt: itemq; sese recipiunt. Cùm autem castris egrediendũ est, tuba indicium facit: nemoq; otiosus est; sed vel solo nutu moniti tabernacula tollunt; omniaq; ad profectionẽ instruunt; deinde iterum tuba, vt sint parati, significat. Illi autem cum mulos & iumẽta sarcinis onerauerint, velut in curuli certamine, signum expectant. Castra verò incendunt eò, quòd sibi alia munire facilè sit: & ne quãdo hostibus eadem vsui sint. Et tamen tertio quoque tubæ signo indicant, vt exeatur; vrgendo aliqua ex causa morantes, ne quis ordinẽ deserat: dexterq; duci præco astans, si ad bellum parati sunt, voce patria ter percontatur: illiq; toties alacri & magna voce paratos esse se respondẽt; interrogantem præueniunt: & Martio quodã spiritu repleti cum clamore dextras erigunt.

Reuerentia & obedientia militũ erga præfectos.

Quomodo è castris egredi solerent.

Deinde otiosè & cum omni decore progrediẽtes ambulant, ſuum quiſq; ordinem velut in bello cuſtodiens: pedites quidem thoracib⁹ & galeis ſepti & vtroque latere gladijs accincti. Læuus autem gladius multò eſt longior, cùm dexter menſuram palmæ nõ excedat: qui verò Ducem ſtipant lecti pedites, ſcuta & lanceas geſtant: cætera manus haſtas & clypeos longos, ſerramque, & corbem, & ſarculum, nec non & habenam, & falcem, & catenam, triduiq; viaticum; vt parum interſit inter onuſta iumenta, & pedites. Equitibus autem ad dexterã gladius eſt longior, & cont⁹ in manu, tranſuerſuſq; ad equi latus clypeus, ternaque in pharetra vel ampli⁹ dependent lata cuſpide iacula, nihil ab haſtis magnitudine differentia: caſsides verò & thoracas peditibus habent ſimiles: nulloque armorum genere ab equitum alis diſcrepant lecti, qui circum Ducem verſantur. Agmina autẽ ſemper cui ſorte id obtigerit, antecedit. Talia quidem ſunt Romanorum itinera, & manſiones, itemq; armorũ varietas. Nihil verò nec in prælijs inconſultum aut ſubitum agunt: ſed

Arma peditum.

Arma equitum.

Nihil in prælijs incõſultum, aut ſubitum agebant.

on.nia

omnia ſemper ſequuntur facta ſententiã: opuſque adhibetur antè decretis. Vnde aut minimè peccãt: aut ſi peccauerint facilis eſt errati correctio. Fortunæ autem ſucceſsibus meliores cõſiliorum, etiam ſi aliter ſucceſſerit, arbitrantur euentus: quaſi bonum quidem fortuitũ ad rem inconſultè gerendã illiciat: quæ verò antè cogitata fuerint, etiam ſi aduerſus caſus exceperit, bene iam meditatos exhibeant ad cauendum; ne idem rurſus eueniat. & bonorum quidem fortuitorum non is author ſit cui contigerint; triſtium verò, quæ præter ſententiam acciderint, ſaltem rectè conſulta videantur eſſe ſolatium. Armorum quidem exercitatione cõparant, vt non modò corpora, ſed animi quoq; militum fortiores ſint. Maior autem illis eſt ex timore diligentia. Namq; leges apud eos nõ deſertionis ſolùm, verumetiam minimæ negligentiæ ſunt capitales: duceſq; magis quàm ipſę leges terribiles. Namq; bonos honorando redimunt ne in cóércendis noxis videantur crudeles. Tanto autem obſequio rectorib⁹ parent; vt & in pace ornamento ſint, & acie corp⁹ vnũ

Maior illis diligentia ex honore.

Obedientia quanta.

totius

totius conſpiciatur exercitus. Sic eorum copulati ſunt ordines; ita circumduci ſunt mobiles, & acutis auribus ad præcepta, oculiſque ad ſigna, & ad opera manibus: vnde facere quidem ſemper ſtrenui ſunt; pati verò tardiſsimi. nec eſt vbi præliantes aut multitudinem hoſtium, aut conſilia ſenſere Ducum, aut difficultatem regionum: ſed ne fortunę quidem ſuccubuere. Nam & ea certiorem putant eſſe victoriam. Quorum igitur actus à conſilijs incipiunt; cõſultaq; adeò ſtrenuus exequitur exercitus, quid mirum, ſi Euphrates ab oriente, & oceanus ab occidente, itemque à meridiano tractu Africę fertiliſsima regio, & à ſeptentrione Rhenus & Danubius ſunt imperij limites? cùm minorem eſſe poſsidentibus poſſeſsionem rectè quis dixerit.



ORATIONES ad Deum militares ex ſacris literis depromptæ.

ORATIO Aſæ Regis Iudæ. 2 *Paral: 14.*

DOmine, non eſt apud te vlla diſtantia, vtrum in paucis auxilieris, an in plurib9: adiuua nos, Domine Deus noſter. In te enim & in tuo nomine habentes fiduciã venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noſter tu es. non præualeat contra te homo.

ORATIO Ioſaphat Regis Iuda. 2 *Paralip: 20.*

DOmine Deus Patrum noſtrorum, tu es Deus in cœlo: & dominaris cunctis regnis gẽtium: in manu tua eſt fortitudo, & potentia; nec quiſquam tibi poteſt reſiſtere. Nõne tu Deus noſter interfeciſti omnes habitatores terræ huius coram populo tuo Iſráél? & dediſti eam ſemini Abrahã amici tui in ſempiternum? habitaueruntq́, in ea: & extruxerunt in illa ſanctuarium nomini tuo dicentes; ſi irruerint ſuper nos mala, gladius iudicij, peſtilentia, & fa-

mes, ſtabimus coram domo hac; in qua inuocatum eſt nomen tuum: & clamabim⁹ ad te in tribulationibus noſtris, & exaudies ſaluoſque facies. Nunc igitur ecce filij Ammon & Moab nituntur eijcere nos de poſſeſsione, quam tradiſti nobis, Deus noſter; ergo non iudicabis eos? In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, vt poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos. Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui vt oculos noſtros dirigamus ad te.

ORATIO Ezechiæ Regis Iuda. *Eſaiæ cap: 37.*

DOmine exercituum Deus Iſráél, qui ſedes ſuper Cherubim: tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ: tu feciſti cœlum & terram. Inclina, Domine, aurem tuam: & audi: aperi, Domine, oculos tuos; & vide: & audi omnia verba Sennacherib; quæ miſit ad blaſphemandum Deum viuentem. Domine Deus noſter, ſalua nos de manu eius: & cognoſcant omnia regna terræ, quia tu es Dominus ſolus.

ORATIO militum Iudæ Machabæi. 1 *Machab:* 3.

DOmine, ſancta tua conculcata ſunt: & contaminata ſunt: & ſacerdotes tui facti ſunt in luctum & in humilitatem: & ecce nationes conuenerunt aduerſum nos, vt nos diſperdant: tu ſcis quæ cogitant in nos. Quomodo poterimus ſubſiſtere ante faciem eorum, niſi tu, Deus, adiuues nos.

ORATIO Iudæ Machabæi. 1 *Machab:* 4.

BEnedictus es, Saluator Iſráél, qui contriuiſti impetum potentis in manu ſerui tui Dauid: & tradidiſti caſtra alienigenarum in manu Ionathæ filij Saul, & armigeri eius: concludе exercitum iſtum in manu populi tui Iſráél: & confundatur in exercitu ſuo, & equitibus. Da illis formidinem: & tabefac audaciam virtutis eorum: & commoueãtur contritione ſua. Deijce illos gladio diligentium te: & collaudent te omnes, qui nouerunt nomen tuum in hymnis.

ORATIO eiuſdem. 2. *Machab:* 15.

TV Domine, qui miſiſti Angelum tuum ſub Ezechia Rege Iuda, & interfeciſti de caſtris

Sennacherib centum octoginta quinq; millia: & nunc Dominator cœlorum mitte Angelum tuum bonū ante nos in timore & tremore magnitudinis brachij tui. vt metuant, qui cum blasphemia veniunt aduersus sanctum populum tuum.

ORATIO Iudith. *Iudith cap: 9.*

DOmine, Deus Patris mei, respice castra Assyriorum nunc, sicut castra Ægyptiorum videre dignatus es, quando post seruos tuos armati currebant confidentes in quadrigis, & in multitudine bellatorum. Sed aspexisti super castra eorum, & tenebræ fatigauerunt eos. Tenuit pedes eorum abyssus: & aquæ operuerunt eos. Sic fiant & isti, Domine, qui confidunt in multitudine sua, & in curribus suis, & in contis, & in scutis, & in sagittis suis: & in lanceis gloriantur: & nesciunt quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio; & Dominus nomen est tibi. Erige brachium tuum sicut ab initio: & allide virtutem illorū in virtute tua: cadat virtus eorum in iracundia tua, qui promittunt se violare sancta; & polluere taberna-

culum nominis tui; & deijcere gladio suo cornu altaris tui. Non enim in multitudine est virtus tua, Domine; neq; in equorum viribus voluntas tua est: nec superbi ab initio placuerunt tibi: sed humiliũ & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Deus cœlorum, Creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me deprecantem, & de tua misericordia præsumentem. Memento, Domine, testamenti tui: vt domus tua in sanctificatione permaneat, & omnes gentes agnoscant; quia tu es Deus, & non est alius præter te.

Orationes iaculatoriæ militares sumptæ ex Psalmis Dauidicis.

VOce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo. Psal. 3.

Non timebo millia populi circũdantis me: exurge, Domine, saluum me fac, Deus meus.

Quoniã tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisti.

Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.

Psal. 12. Vsquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice & exaudi me, Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus; Præualui aduerſus eum.

Qui tribulant me, exultabunt ſi motus fuero: ego autem in miſericordia tua ſperaui.

Exultabit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: & pſallam nomini Domini altiſsimi:

Psal: 16. Ego clamaui, quoniam exaudiſti me Deus: inclina aurẽ tuam mihi: & exaudi verba mea.

Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te. (pupillam oculi.

A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me, vt

Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt: os eorum locutum eſt ſuperbiam.

Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædã, & ſicut catulus Leonis habitans in abditis.

Exurge, Domine, præueni eum: & ſupplanta eum, eripe animam meam.

Deus

Deus, qui præcinxit me virtute; qui docet manus meas ad prælium; & posuit arcum æreum brachia mea. Psal. 17.

Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: & dextera tua suscepit me;

Et disciplina tua correxit me in finem; & disciplina tua ipsa me docebit;

Dilatasti gressus meos subtus me: & nō sunt infirmata vestigia mea.

Persequar inimicos meos; & comprehendā illos: & non conuertar, donec deficiant.

Confringam illos; nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos.

Et præcinxisti me virtute ad bellum: & supplantasti insurgentes in me subtus me.

Et inimicos meos dedisti mihi dorsum: & odientes me disperdidisti.

Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret: ad Dominum, nec exaudiuit eos.

Et comminuam eos vt puluerem ante faciē venti; vt lutum platearum delebo eos.

Eripies me de contradictionibus populi: cōstitues me in caput gentium.

Populus

Populus quem non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi. Viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ. Deus, qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me. liberator me⁹ de inimicis meis iracundis: Et ab insurgentibus in me exaltabis me: à viro iniquo eripies me. Propterea confitebor tibi in nationib⁹, Domine: & nomini tui psalmum dicam.

Psal. 26. Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra; non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium; in hoc ego sperabo. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui. In petra exaltauit me: & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos. Circuiui; & immolaui in tabernaculo eius hostiã vociferationis: cantabo, & psalmũ dicam Domino. Exaudi, Domine, vocem qua clamaui ad te: miserere mei; & exaudi me. Tibi dixit cor meum; exquisiuit te facies mea: faciem tu-

am Domine requiram. Ne auertas faciem tuam à me: ne declines in ira à seruo tuo. Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neq; despicias me, Deus salutaris meus.

Exaudi, Domine, vocē deprecationis meæ, dum oro ad te: dum extollo manus meas ad tēplum sanctum tuum. Ne simul trahas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me. Benedictus Dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ. Domin⁹ adiutor meus, & protector meus; & in ipso sperauit cor meum: & adiutus sum, & refloruit caro mea: & ex voluntate mea confitebor ei. Dominus fortitudo plebis suæ, & protector salutationum Christi sui est. Saluum fac populū tuum, Domine; & benedic hæreditati tuæ; & rege eos; & extolle illos vsq; in æternum. Psal. 27.

Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum: & reprobat consilia Principum. Consilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione & generationem. Beata gens; cuius est Dominus Deus eius: populus Psal. 32.

quem elegit in hæreditatem ſibi. Non ſaluatur Rex per multam virtutẽ: & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis tuæ. Fallax equus ad ſalutem: in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur. Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum: & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius. vt eruat à morte animas eorum,& alat eos in fame. Anima noſtra ſuſtinet Dominum. quoniam adiutor & protector noſter eſt. Quia in eo lætabitur cor noſtrum: & in nomine ſancto eius ſperauimus. Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.

Pſal. 34. Iudica Domine nocentes me: expugna impugnantes me. Apprehende arma, & ſcutum: & exurge in adiutorium mihi. Effunde frameam: & conclude aduerſus eos, qui perſequuntur me. dic animę meæ; ſalus tua ego ſum. Confundantur, & reuereantur quærentes animã meam. Auertantur retrorſum: & confundantur cogitantes mihi mala. Fiant tanquam puluis ante faciem venti; & Angel⁹ Domini coarctãs eos. Fiat via illorum tenebræ, & lubricum: &

Angelus Domini persequens eos; Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: superuacuè exprobrauerũt animã meã. Veniat illi laqueus, quem ignorat; & captio, quam abscondit, apprehendat eum; & in laqueum cadat in ipsum. Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur super salutari suo. Omnia ossa mea dicent; Domine quis similis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum eius; egenum & pauperem à diripientibus eum; Cõfitebor tibi in Ecclesia magna: in populo graui laudabo te. Non supergaudeant mihi, qui aduersantur mihi iniquè: qui oderunt me gratis; & annuunt oculis. Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur: & in iracundia terrę loquentes dolos cogitabant. Et dilatauerunt super me os suum: dixerunt; Euge euge; viderũt oculi nostri.

Vidisti Domine, ne sileas; Domine ne discedas à me. Exurge, & intende iudicio meo: Deus meus, & Dominus meus in causam meã.

Iudica me secundum iustitiam tuam, Domine Deus meus; & non supergaudeant mihi.

Non dicant in cordibus ſuis; Euge, euge, animæ noſtræ: nec dicant; Deuorabimus eum. Erubeſcant; & reuereantur ſimul, qui gratulãtur malis meis. Induantur confuſione, & reuerentia, qui maligna loquuntur ſuper me. Exultent, & lętentur qui volunt iuſtitiam meam: & dicãt ſemper; Magnificetur Dominus, qui volunt pacem ſerui eius. Et lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam; tota die laudem tuam.

Pſal: 36. Gladium euaginauerunt peccatores; intenderunt arcum ſuum: Gladius eorum intret in corda ipſorum: & arcus eorum confringatur.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus: ne diſceſſeris à me.

Pſal: 37. Intende in adiutorium meum, Domine Deus ſalutis meæ.

Pſal: 55. Miſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo: tota die impugnans tribulauit me. Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellãtes aduerſum me.

In quacunque die inuocauero te, ecce cognoui quoniam Deus meus es.

In Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi homo.

hi homo. In me ſunt, Deus, vota tua quæ reddam laudationes tibi.

Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos à lapſu, vt placeam coram Deo in lumine viuentium.

Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab inſurgentibus in me libera me. Pſal: 58.

Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris ſanguinum ſalua me.

Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes.

Exurge in occurſum meum, Domine Deus virtutum, Deus Iſráél.

Fortitudinem meam ad te cuſtodiã; quia Deus ſuſceptor meus es. Deus meus, miſericordia eius præueniet me.

Cantabo fortitudinem tuam; & exaltabo manè miſericordiam tuam.

Quia factus es ſuſceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ.

Adiutor meus, tibi pſallam. quia Deus ſuſceptor meus es: Deus meus miſericordia mea.

Quis deducet me in Ciuitatem munitam? Pſal: 59.

nonné tu Deus? da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis.

In Deo faciemus virtutem: & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.

Pſal: 61. In Deo ſalutare meum, & gloria mea: Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt.

Sperate in eo omnis cõgregatio populi: effundite coram illo corda veſtra. Deus adiutor noſter in æternum.

Pſal: 139. Dixi Domino; Deus meus es tu. exaudi, Domine, vocem deprecationis meę.

Domine, Domine virtus ſalutis meæ, obũbraſti ſuper caput meum in die belli.

Ne tradas me, Domine, peccatori: cogitauerunt contra me, ne derelinquas me. ne fortè exaltentur.

Pſal: 43. Deus auribus noſtris audiuimus: patres noſtri annuntiauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

Manus tua gentes diſperdidit; & plantaſti eos: afflixiſti populos; & expuliſti eos:

Nec enim in gladio ſuo poſſederũt terram; & brachium eorum non ſaluauit eos:

Sed

Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniã cõplacuisti in eis.

Tu es ipse Rex meus, & Deus me⁹: qui mandas salutes Iacob.

In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

Non enim in arcu meo sperabo: & gladius meus non saluabit me.

Saluasti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudisti.

In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in seculum.

Exurge, quare obdormis, Domine? exurge, & ne repellas in finem.

Quare faciem tuam auertis? obliuisceris inopiæ nostræ: & tribulationis nostræ?

Quoniam humiliata est in puluere anima nostra: conglutinat⁹ est terra venter noster.

Exurge, Domine, adiuua nos: & redime nos propter nomen tuum.

Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt *Psal: 47.*
regna: dedit vocem suam, & mota est terra.

Dominus

Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus Iacob.

Venite & videte opera Domini: quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella vſque ad finem terræ.

Arcum conteret: & confringet arma: & ſcuta combueret igni.

Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus: exaltabor in gentibus; & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Iacob.



